XIII, 6.
3, 645.



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-1192015415-111186389X-11

FESTA PROPRIA

Ingenuæ ac Exemptæ Diœceſis

MISNENSIS

NOVISSIME EDITA,

Anno Domini MDCCLXXIII.

JUSSU & AUCTORITATE

REVERENDISSIMI, PERILLUSTRIS, EXIMII, CLARISSIMI, AC AMPLISSIMI DOMINI

DOMINI JOANNIS CAROLI LAURENTII CARDONA,

Epiſcopatus Miſnenſis per utramque Luſatiam

ADMINISTRATORIS ECCLESIASTICI & LOCI ORDINARII;

Ingenuæ, ac Exemptæ Eccleſiæ ad S. Petrum Budiſſinæ

PRÆLATI, & DECANI INFULATI,

Laubæ Præpoſiti, ac Parthenonis ibidem Viſitatoris perpetui &c.

Conſentiente Venerabili Capitulo Budiſſinenſi.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-1192015415-111186389X-11

Cum timore omnia agamus, postulantes intercessiones incontaminatæ Deiparæ; item Sanctorum Angelorum, omniumque Sanctorum.

VII. Synod. generalis, Art. 6. in fine.

JOANNES CAROLUS LAURENTIUS CARDONA,

Episcopatus Misnensis per Utramque Lusatiam Administrator Ecclesiasticus, & Loci Ordinarius; Ingenuæ, ac Exemtæ Ecclesiæ ad S. Petrum Budissæ Prælatus, & Decanus Infulatus, Laubæ Præpositus, ac Parthenonis ibidem Visitator perpetuus &c. &c.

Omnibus has lecturis salutem a Domino!

Deficientibus exemplaribus Officiorum propriorum exemtæ Diœcesis Misnensis, cujus Administratio per Utramque Lusatiam Nobis indignis concredita est, de recentibus sufficiendis in dicta Administratura dignissimus Antecessor noster & simul Episcopus Pergamensis p. m. Reverendissimus & Illustrissimus D. JACOBUS WOSKY de BÆRENSTAMM jam curare cœpit; ast ad meliorem vocatus vitam, Nobis, ut, quod cœpit, ad finem perduceremus, reliquum fecit. Ne itaque muneri nostro hac in parte deessemus, in id, simul atque vacabat, serio intendimus, ut non duntaxat antiqua Officiorum Diœcesi propriorum congeries sub prelo sudaret, sed & ab adhærentibus purgata maculis inde tersior prodiret. Opus itaque præsens in meliorem formam reductum publicæ luci damus,

omnesque de Clero, qui vel noſtræ ſubſunt Adminiſtraturæ, vel extra illius limites in Diœceſi Miſnenſi degunt, hortamur, atque obſecramus in Domino, ut huic deinceps Feſtorum & officiorum ordini, Romano juncto, inſiſtentes concordi pietate penſum divinum perſolvant. Faxit Deus, ut, quæ ſeu myſteriorum, ſeu Sanctorum cultu nobis propria ſunt, & virtute & imitatione quoque propria fiant, nosque emenſo mortalitatis ſtadio eo pertingamus, ubi myſteria æternum colere, & Sanctorum ſocietate infinite gaudere nobis liceat. Dabamus in Conſiſtorio noſtro Budiſſæ die XXVIII. Junii. MDCCLXXIII.

Joannes Carolus Laurentius,
Adm. Eccl. & Decanus, ut ſupra.

(L. S.)

Joannes Auguſtinus Jacubetz,
Canonic. Capitular. Scholaſtic. & Conſiſtorii Aſſeſſor, Protonotar. Apoſt. jurat.

Calen-

CALENDARIUM ECCLESIASTICUM ROMANO-MISNENSE Perpetuum.

JANUARIUS dierum 31.

1. CIRCUMCIS. DNI. *Dupl. II. Claſſ. ſine Commem.*
2. Octava S. Stephani Proto-M. *Dupl. cum Commem.* Octavarum S. Joannis Ap. & SS. Innocentium MM.
3. Octava S. Joannis Ap. & Evang. *Dupl. Comm.* SS. Innocent.
4. Octava SS. Innocentium MM. *Dupl.*
5. *Vigilia* Epiphan. *Semid. Comm.* S. Telesphori Pp. M.
6. EPIPHANIA DNI, *Dupl. I. Claſſ. cum Octav.*
7. De Octava Epiphan. *Semidupl.*
8. De Octava. *Semid.*
9. De Octava. *Semid.*
10. De Octava. *Semid.*
11. De Octava. *Semid. Comm.* S. Hygini Pp. M.
12. De Octava. *Semid.*
13. Octava Epiphaniæ. *Dupl. maj. Dominica II. poſt Epiphaniam celebratur Feſtum* SS. Nominis JESU, *ſub Duplici II. Claſſis.*
14. Hilarii Epiſc. & Conf. *Semid. 9. Lect. & Comm.* S. Felicis Presbyt. M.
15. FACIEI SALVATORIS. *Dupl. maj. 9. Lect. & Com.* S. Mauri Abb. *p. t.*
16. Marcelli Papæ & M. *Semid.*
17. Antonii Abb. *Dupl.*
18. CATHEDRÆ S. PETRI Romæ. *Dupl. maj. 9. Lect. & Comm.* 2. de S. Priſca V. M.
19. Canuti Reg. M. *Semid. ad libit. 9. L. & com.* SS. Marii &c. MM.
20. FABIANI & SEBASTIANI MM. *Dupl. II. Claſſ. cum*

cum Octava. p. 21.

21. Agnetis Virg. & M. *Dupl. II. Classis. cum Oct. p. 21.*

22. Vincentii M. *Dupl. Comm. Octavar. p. 21.*

23. Desponsatio B. M. V. cum S. Joseph. *Dupl. maj. 9. Lect. & 3. Comm.* S. Emerent. V. M.

24. Timothei Ep. & M. *Semid. Comm.* Octavar.

25. Conversio S. Pauli Ap. *Dupl. maj. Comm.* 1. & 2. Octavar. 3. S. Projecti Ep. M. *p. 25.*

26. Polycarpi Ep. & M. *Semid. Comm.* 1. & 2. Octavarum.

27. Octava SS. Fabiani & Sebast. MM. *Dupl. ut notat. p. 25.*

28. Octava S. Agnetis V. & M. *Dupl. p. 26.*

29. Othiliæ Virg. *Dupl. maj. p. 30.*

30. Martinæ V. & M. *Semid.*

31. Petri Nolasci Conf. *Duplex.*

Dominicæ, Septuagesima, Sexagesima, & Quinquagesima, *sunt II. Classis.*

FEBRUARIUS dierum 28.

Feria V. post Sexages. Inventio Pueri JESU. *Dupl. maj. p. 34.*

Feria III. post Quinquages. Comm. S. Bennonis Ep. & C. *Semid. p. 45.*

1. Ignatii Ep. & M. *Semid. 9. Lect. & Comm.* S. Brigidæ V. *p. 46.*

2. PURIFICATIO B. M. V. *Dupl. II. Classis.*

3. Blasii Ep. & M. *Dupl. Comm.* S. Wendelini Conf. *p. 47.*

4. Andreæ Corsini Ep. & Conf. *Dupl.*

5. Agathæ V. & M. *Dupl.*

6. Dorotheæ V. & M. *Dupl. II. Classis. cum Oct. p. 49.*

7. Romualdi Abb. *Dupl.*

8. Joannis de Matha, Conf. *Dupl.*

9. Apolloniæ V. & M. *Dupl. p. 51.*

10. Erhardi Ep. & Conf. *Dupl. p. 53.*

11. Jo-

11. Joannis Chryſoſt. Ep. C. & Doct. *Dupl. in Rom. 27. Jan.*
12. Caroli Magni, Imperat. & Conf. *Dupl. p. 56.*
13. Octava S. Dorotheæ V. & M. *Dupl. p. 61.*
14. Franciſci Saleſii Ep. Conf. *Dupl. in Rom. 29. Jan. com.* Valentini utriusque.
15. Pauli, primi Eremitæ Conf. *Dupl. in Rom. 15. Jan. 9. Lect. & com.* SS. Fauſtini &c. MM.
16. Julianæ Virg. & M. *Semid. p. 63.*
17. Anaſtaſii M. *Semid. in Rom. 22. Jan. p. 65.*
18. Raymundi de Pennafort, Conf. *Semid. in Rom. 23. Jan. 9. Lect. & Com.* S. Simeonis Ep. M.
19. Scholaſticæ V. *Dupl.*
20. *in Rom. 10. ejusd.*
21.
22. Cathedræ S. Petri Antiochiæ. *Dupl. maj.*
23. Vigilia.
24. MATHIÆ Apoſt. *Dupl. II. Claſſ.*
25. *In Anno Biſſextili Fe-*
26. *bruarius eſt dierum*
27. *29; & Vigilia cadit*
28. *ad 24. Feſtum vero ad 25. Februarii: & Littera F valet pro 24. & 25. die.*

MARTIUS dierum 31.

1.
2.
3.
4. Caſimiri Conf. *Semid.*
5. *Comm.* S. Lucii Pp.
6. & M.
7. Thomæ de Aquino Conf. & Doct. *Dupl. Comm.* SS. Perpetuæ & Felicitatis MM.
8. Joannis de Deo Conf. *Dupl.*
9. Franciſcæ Viduæ Romanæ. *Dupl.*
10. Quadraginta Martyrum. *Semid.*
11. Gregorii I. Pp. Conf.
12. & Eccl. Doct. *Dupl.*
13.
14.
15.
16.
17. Patritii Ep. & Conf. *Semid. Comm.* S. Gertrudis V. *p. 68.*
18.
19. Jo-

19. Josephi Sponsi B. M. V. Nutritii DNI, *Dupl.*
20. *II. Classis.*
21. Benedicti Abb. *Dupl.*
22.
23.
24. Gabrielis Archang. *Duplex maj.*
25. ANNUNTIATIO B. MARIÆ V. *Dupl. II. Classis.*
26. *Feria VI. post Domini-*
27. *cam Passionis celebra-*
28. *tur Festum VII. Dolo-*
29. *rum B. M. V. Duplex*
30. *majus. Si prædicta Fe-*
31. *ria VI. fuerit impedita ab alio Festo I. vel II. Classis, Officium Septem Dolorum transfertur in Sabbathum sequens; in quo si occurrat festum Duplex minus, vel majus, hoc transfertur in Tempus Paschale. Si vero in dicto Sabbatho fuerit Festum I. vel II. Classis, tunc Officium Septem Dolorum illo anno omittitur, juxta Decreta emanata.*

APRILIS dierum 30.

1.
2. Francisci de Paula
3. Conf. *Dupl.*
4. Ambrosii Ep. C. & Eccl. Doct. *Dupl. in Rom. 7. Decemb. p. 69.*
5. Vincentii Ferrerii C. *Duplex.*
6. Isidori Ep. Conf. *Dupl. in Rom. 4. hujus.*
Feria VI. post Domini-
7. *cam in Albis*, Festum
8. Lanceæ & Clavorum
9. Dni, *Dupl. II. Classis.*
10. *Vide annotat. p. 69.*
11. Leonis I. Papæ &
12. Conf. *Dupl.*
13. Hermenegildi Regis Martyris. *Semid.*
14. Tiburtii, Valeriani
15. &c. MM. *Simplex.*
16.
17. Aniceti Papæ. & M.
18. *Simplex.*
19.
20.
21. Anselmi Ep. & Conf. *Duplex.*
22. Soteris & Caji PPont. & MM. *Semid.*
23. Georgii M. *Dupl. 9. Lect. & Comm.* S. Adal-
24. berti Ep. M. *p. 72.*

25. Mar-

APRILIS.

25. Marci Evangelistæ, *Dupl. II. Classis.*
26. Cleti & Marcellini
27. PPont. MM. *Semid.*
28. Vitalis M. *Simplex.*
29. Petri M. *Dupl.*
30. Catharinæ Senensis V. *Duplex.*

MAJUS dierum 31.

1. PHILIPPI & JACOBI Apostolor. *Dupl. II. Classis. 9. Lect. & Comm.* S. Walburgæ V. *p. 73.*
2. Sigismundi M. *Dupl. p. 75.*
3. Inventio S. Crucis, *Dupl. II. Classis. 9. L. & comm.* SS. Alexandri &c. MM.
4. Monicæ Viduæ. *Dupl. Comm.* S. Gothardi Ep. C. *p. 79.*
5. Athanasii Ep. & Conf. *Dupl. in Rom. 2. huj.*
6. JOANNIS Apost. & Evang. ante Portam Latinam. *Dupl. I. Classis. cum Oct. Patrocinium Diœcesis primar. p. 79.*
7. Stanislai Ep. M. *Dupl. Comm.* Oct.
8. Apparitio S. Michaëlis Archang. *Dupl. maj. Comm.* Octavæ.
9. Gregorii Nazianzeni Ep. & C. *Dupl. com.* Oct.
10. Antonini Ep. & C. *Semid. 9. Lect.* SS. Gordiani & Epimachi MM. *Comm.* 1. Oct. 2. SS. MM.
11. Pii V. Papæ & Conf. *Semid. in Rom. 5. huj. Comm.* Octavæ.
12. Nerei, Achillei, & Domitillæ Virg. atque Pancratii MM. *Semid. Comm.* Octavæ.
13. Octava S. Joannis Ap. *Dupl. 9. L. & Com.* 1. S. Servatii Ep. & C. 2. de plur. SS. MM. Ægyptiis non nominatis. *p. 79.*
14. Bonifacii M. *Simpl.*
15.
16. Joannis Nepomuceni M. *Dupl.*
17. Ubaldi Ep. & Conf. *Semid. in Rom. heri.*
18. Venantii M. *Semid.*
19. Petri Cœlestini Papæ &

& Conf. *Dupl. 9. Lect. & Comm.* S. Pudentianæ V.

20. Bernardini Senensis Conf. *Semid.*

21. Felicis a Cantalicio Conf. *Semid.*

22. *Feria* II. & III. &

23. IV. *post Dominicam*

24. *V. post Pascha sunt* Dies Rogationum. *Feria V. ejusd. hebdomadæ,* Ascensio Domini, *Duplex I. Classis cum Octav.*

25. Gregorii VII. Papæ, *In Vigilia Pentecostes:* Jejunium. *Infra Octav. Pentecost.* Quatuor Tempora. *Dominica* SSS. Trinitatis, *Dupl. II. Classis cum Octava.* Die 3. infra Oct. *p. 84.*

26. Philippi Nerii Conf. *Dupl. 9. Lect. & Comm.* S. Eleutherii Pp. & M.

27. Mariæ Magdalenæ de Pazzis Virg. *Semid. in Rom. 25. huj. 9. Lect.*

28. *& Comm.* S. Joannis

29. Pp. M.

30. Felicis Papæ & M. *Simplex.*

31. Patronillæ V. *Simpl.*

Die 4. infra Oct. *p. 88.*

JUNIUS

Feria V. post SSS. Trinitat. celebratur *Festum* SS. Corporis CHRISTI. *Dupl. I. Classis cum Oct.*

Dominica II. post Pentecost. Octava SSS. Trinitat. *Dupl. maj. p. 92.*

Dominica III. post Pentecost. S. Erasmi Ep. M. *Dupl. maj. p. 96.*

1.

2. Marcellini & Petri dierum 30.

3. MM. *Simpl. Nihil*

4. *de S. Erasmo.*

5. Bonifacii Ep. & Soc. MM. *Simpl. p. 100.*

6. Norberti Ep. & Conf.

7. *Dupl.*

8.

9. Primi & Feliciani MM. *Simpl.*

10. Margaritæ Vid. Reginæ Scotiæ. *Semid.*

11. Barnabæ Ap. *Dupl. maj.*

12. Jo-

12. Joannis a S. Facundo Conf. *Dupl. 9. Lect.* (*de duabus una*) *& Comm.* SS. Basilidis &c. MM.

13. Antonii de Padua Conf. *Dupl.*

14. Basilii Magni, Ep. Conf. & Doct. *Dupl.*

15. Viti, Modesti, atque Crescentiæ MM. *Simpl.*

16. BENNONIS Ep. & Conf. Patroni Diœcesis; *Dupl. II. Class. cum Octava. p. 102.*

17. Dies 2. infra Oct. *Semid. p. 108.*

18. Dies 3. infra Oct. *Semid. p. 113. 9. L. & com.* SS. Marci &c. MM.

19. Julianæ de Falconeriis Virg. *Semid. 9. Lect.* de SS. Gervasio & Protasio MM. *Comm.* 1. Oct. 2. SS. MM.

20. Dies 5. infra Oct. *Semid. p. 116. 9. Lect.* (*de duabus una*) *& Com.* S. Sylverii Papæ M.

21. Aloysii Gonzagæ C. *Dupl. Comm.* Octavæ.

22. Decem millium Militum martyr. *Dupl. p. 120. 9. Lect.* (*de duabus una*) de S. Paulino Ep. Conf. Comm. 1. Oct. 2. S. Paulini.

23. Octava S. Bennonis Ep. C. *Dupl. p. 125.* Et *Vigilia* S. Joannis Bapt. *cum 9. Lect. & Comm.*

24. NATIVITAS S. JOANNIS Bapt. *Dupl. I. Class. cum Oct.*

25. Dies 2. infra Oct. S. Joannis Bapt. *Semid. Comm.* S. Elogii Ep. & Conf. *p. 129.*

26. Joann. & Pauli MM. *Dupl. Comm.* Oct.

27. Dies 4. infra Octav. *Semid.*

28. Leonis II. Pp. & C. *Semid.* Et *Vigilia* SS. Petri & Pauli Ap. *cum 9. Lect. de ead. Comm.* 1. Oct. 2. Vigiliæ.

29. PETRI & PAULI Apostol. *Dupl. I. Class. cum Oct.*

30. Commemoratio S. Pauli Apost. *Duplex.* Comm. 1. S. Petri Ap. 2. Octav. S. Joannis Bapt.

JULI-

JULIUS dierum 31.

1. Octava S. Joannis Bapt. *Dupl.* Comm. Octavæ Apostolor.
2. VISITATIO B. MARIÆ V. *Dupl. I. Class. cum Oct. comm. nulla.*
3. Dies 2. infra Oct. Visitat. *Semid. Comm.* Oct. Apost. *p. 130.*
4. Dies 3. infra Oct. Visitat. *Semid. 9. Lect.* de S. Udalrico Ep. C. Comm. 1. Oct. Apost. 2. S. Udalrici Ep. C. *p. 133. & 134.*
5. Dies 4. infra Oct. Visitat. *Semid. p. 137.*
6. Octava SS. Petri & Pauli Apostolor. *Dupl.* Comm. Visitat.
7. Dies 6. infra Oct. Visitat. *Semid. p. 140.*
8. Chiliani Ep. & Soc. MM. *Dupl.* Comm. Visitat. *p. 143.*
9. Octava Visitat. B. M. V. *Dupl. maj. p. 146.*
10. Septem Fratrum, & Rufinæ ac Secundæ V. MM. *Semid.*
11. Brictii Ep. Martulani Conf. *Compatroni Diœcesis. Dupl. maj. 9. Lect. & Comm.* S. Pii Papæ & M. *p. 149.*
12. Joannis Gualberti Abb. *Dupl.* Comm. SS. Naboris & Felicis MM.
13. Margaritæ V. & M. *Dupl. p. 151. in Rom. 20. huj.*
14. Bonaventuræ Episc. Conf. & Doct. *Dupl.*
15. Divisio Apostolor. *Dupl. maj. p. 153.*
16. Commemoratio B. MARIÆ V. de Monte Carmelo. *Dupl. maj.*
17. Alexii Conf. *Dupl.*
18. Elisabeth Reginæ Portugalliæ Vid. *Semid. in Rom. 8. huj. 9. Lect. (de duabus una) & Com.* S. Symphorosæ cum 7. Filiis MM.
19. Vincentii a Paulo Conf. *Dupl.*
20. Henrici I. Imperator. Conf. *Dupl. in Rom. 15. huj. p. 159.*
21. Anacleti Papæ & M. *Semid. in Rom. 13. huj. 9. Lect.*

9. *Lect. & Comm.* S. Praxedis V.
22. MARIÆ MAGDALENÆ. *Dupl.*
23. Apollinaris Ep. & M. *Dupl. Comm.* S. Liborii Ep. C.
24. Camilli de Lellis C. *Dupl. alibi heri.* Et *Vigilia* S. Jacobi Ap. *cum 9. Lect. & Comm. 1.* de ea. *2. Comm.* S. Christinæ V. M.
25. JACOBI Ap. *Dupl. II. Claſſ. Comm.* S. Chriſtophori M.
26. ANNÆ, MATRIS B. V. M. *Dupl. II. Claſſ. cum Octava, p. 159.*
27. Hieronymi Æmiliani Conf. *Dupl. alibi 20. huj. 9. L. de* S. Pantaleone M. *com.* Oct. & S. M.
28. Nazarii, Celſi, & Victoris Pp. MM. ac Innocentii Papæ & Conf. *Semid. Comm.* Oct.
29. MARTHÆ Virg. *Dupl. maj. Comm. 1.* Oct. 2. SS. Felicis Pp. Simplicii, Fauſtini, ac Beatricis MM.
30. Dies 5 infra Oct. S. Annæ, *Semid. 9. Lect. & Comm.* SS. Abdon, & Sennen MM. *p. 159.*
31. Ignatii Conf. *Dupl. Comm.* Oct.

AUGUSTUS dierum 31.

1. Petri ad Vincula, *Dupl. maj. 9. Lect.* de SS. Machabæis MM. Comm. 1. Oct. 2. SS. MM.
2. Octava S. Annæ. *Dupl. p. 162. 9. Lect.* (*de duabus una*) *& Comm.* S. Stephani Pp. M. *p. 162.*
3. Inventio S. Stephani Proto-M. & Soc. Conf. *Dupl. p. 164.*
4. Dominici Conf. *Dupl.*
5. DEDICATIO S. MARIÆ ad Nives, *Dupl. maj. 9. Lect. & Comm.* S. Oswaldi Reg. M. *p. 164.*
6. TRANSFIGURATIO DOMINI. *Dupl. maj. 9. Lect. & Comm.* SS Xyſti II. Papæ, Feliciſſimi, & Agapiti MM.
7. DONATI Ep. & M. (*Pa-*

(*Patrocin. Diœcesis secundarium*) *Dupl. II. Classis cum Oct. 9. Lect. & Comm.* S. Afræ & Soc. MM. *p. 165. & 169.*

8. Cyriaci, Largi, & Smaragdi MM. *Semidupl. Comm.* Octavæ.

9. Cajetani Conf. *Dupl. in Rom. 7. huj.* Et *Vigilia* S. Laurentii cum *9. Lect.* de ea. Comm. 1. Oct. 2. *Vigiliæ.* 3. S. Romani M.

10. LAURENTII. Levitæ & Mart. *Dupl. II. Classis cum Oct.*

11. Dies 5. infra Oct. S. Donati Ep. M. *Semid. p. 169. 9. Lect.* de SS. Tiburtio & Susanna MM. *Com.* 1. Oct. S. Laurentii M. 2. SS. MM.

12. Claræ V. *Dupl. Com.* 1. Oct. S. Donati. 2. S. Laurentii.

13. Dies 7. infra Oct. S. Donati Ep. M. *Semid. p. 172. 9. Lect.* de SS. Hippolyto & Cassiano MM. *Comm.* 1. Oct. S. Laurentii. 2. SS. MM.

14. Octava S. Donati Ep. M. *Dupl. p. 175.* Et *Vigilia* Assumpt. B. M. V. *cum 9. Lect. de ea.* Com. 1. S. Laur. 2. *Vigiliæ.* 3. S. Eusebii Conf.

15. ASSUMPTIO B. MARIÆ V. *Dupl. I. Classis cum Octava. Dominica infra hanc Octavam* S. Joachim Conf. Patris B. M. V. *Dupl. maj. a 20. Martii ad hanc Dominicam transferri annuit Clemens XII. die 3. Oct. 1738.*

16. Hyacinthi C. *Dupl. Comm.* 1. Assumpt. B. M. V. 2. S. Laurentii.

17. Octava S. Laur. M. *Dupl. Comm.* Oct. Assumpt.

18. Dies 4. infra Octav. Assumpt. B. M. V. *Semid. 9. Lect. & Comm.* S. Agapiti Mart.

19. Sebaldi Conf. *Dupl. Comm.* Oct. & S. Magni M. *p. 177.*

20. Bernardi Abb. *Dupl. Comm.* Octavæ.

21. Ludovici Ep. & C. *Semid.*

Semid. in Rom. 19. huj. Comm. Octavæ.

22. Oct. Assumpt. B. M. V. *Dupl. maj. 9. Lect. & Comm.* SS. Timothei, Hippolythi, & Symphoriani MM.

23. Philippi Benitii C. *Dupl.* Et *Vigilia* S. Bartholomæi Ap. *de qua 9. Lect. & Comm.*

24. BARTHOLOMÆI Apost. *Dupl. II. Class.*

25. Translatio S. Hedwigis Vid. *Dupl. p. 182.*

26. Ludovici Reg. Conf. *Semid. in Rom. heri. 9. Lect. & Comm.* S. Zephyrini Papæ & M.

27. Josephi Calasanctii a Matre Dei, Conf. *Dupl. Comm.* S. Ruffi M. *p. 184.*

28. Augustini Ep. Conf. & Eccl. Doct. *Dupl. Comm.* S. Hermetis M.

29. Decollatio S. Joann. Bapt. *Dupl. 9. Lect. & Comm.* S. Sabinæ M.

30. Rosæ Virg. Limanæ, *Dupl. 9. Lect. & Comm.* SS. Felicis & Adaucti MM.

31. Raymundi Nonnati Conf. *Dupl.*

SEPTEMBER dierum 30.

Dominica I. Septembris, Festum SS. Angelorum Custodum. *Duplex II. Classis cum Octava. p. 184.*

1. Joannæ Franciscæ Fremiot de Chantal, Vid. *Dupl.* (*alibi 21. Aug.*) *9. Lect. & Comm.* 1. S. Ægidii Abb. 2. SS. Xysti, Prisci, Sinnicii MM. & Verenæ V. 3. SS. Duodecim Fratrum MM.

2. Susceptio S. Spineæ Coronæ. *Dupl. maj. p. 186.*

3. Stephani Hungar. Regis, Conf. *Semid. in Rom. heri.*

4. Lazari a Christo resuscitati. *Dupl. p. 204.*

5. Rosaliæ V. Panormitanæ. *Dupl. maj. p. 216.*

6. Al-

6. Albini Ep. & Conf. *Dupl. p. 216.*

7. Laurentii Justiniani Ep. C. *Semid. in Rom. 5. hujus.*

8. NATIVITAS B. M. V. *Dupl. II. Class. cum Oct. 9. Lect. & Comm.* S. Adriani M.

Dominica infra hanc Octavam celebratur Festum Nominis B. MARIÆ V. *Dupl. maj. cum 9. Lect. & Comm. Dominicæ occurrentis, sine Comm. Nativitatis.*

Si in Dominica infra Octavam Nativitatis B. M. V. occurrat alicubi dies Octava, translato festo SSmi Nominis, agendum est de Octava in ipsa Dominica. Si vero dictum festum SS. Nominis occurrerit in die Octava Nativitatis B. M. V. agendum erit de eodem SS. Nomine, omissa in Utrisque Vesperis, Laudibus, & Missa, commemoratione de prædicta Octava. S. R. C. *19. Junii 1700. in Curien.*

9. Dies 2. infra Oct. Nativ. B. M. V. *Semid. 9. Lect. & Comm.* S. Gorgonii M.

10. Nicolai de Tolentino Conf. *Dupl. Comm.* Octavæ.

11. Dies 4. infra Octav. Nativ. B. M. V. *Semid. 9. Lect. & Com.* SS. Proti & Hyacinthi MM.

12. Dies 5. infra Octav. Nativ. B. M. V. *Semid.*

13. Dies 6. infra Octav. *Semid. Comm.* S. Materni Ep. & C. *p. 220.*

14. Exaltatio S. Crucis. *Dupl. maj. Subsequente Feria* IV. VI. *& Sabbatho, sunt* Quat. Temp.

15. Octava Nativitatis B. M. V. *Dupl. maj. 9. Lect & C omm.* S. Nicomedis M.

16. Cornelii & Cypriani PPont. MM. *Semid. 9. Lect. & Comm.* SS. Euphemiæ, Luciæ, & Geminiani MM.

17. Impressio Stigmatum S. Francisci Seraph. *Semid. 9. Lect. & Com.* S. Lam-

S. Lamberti Ep. M. *p. 221.*

18. Thomæ de Villa nova Ep. C. *Semid.*

19. Januarii Ep. & Soc. MM. *Dupl.*

20. Euſtachii, & Soc. MM. *Dupl.* Et *Vigilia* S. Matthæi Ap. *cum 9. Lect. & Comm. de ea.*

21. MATTHÆI Apoſt. *Dupl. II. Claſſ.*

22. Mauritii, & Socior. MM. *Dupl. maj. Comm.* S. Emmerami Ep. M. *p. 222.*

23. Victoris Mart. *Dupl. 9. Lect. & Comm.* S. Theclæ V. & M. *p. 225.*

24. Gaudiorum B. MARIÆ V. *Dupl. majus. p. 228.*

25. B. MARIÆ V. de Mercede, *Dupl. maj. in Rom. heri.*

26. Lini Pp. & M. *Semid. in Rom. 23. huj. 9. Lect. & Comm.* SS. Cypriani & Juſtinæ MM.

27. Cosmæ & Damiani MM. *Semid.*

28. WENCESLAI Bohem. Ducis, M. *Dupl. II. Claſſ. cum Oct.*

29. Dedicatio S. MICHAELIS Archang. *Dupl. II. Claſſ.*

30. HIERONYMI Presbyteri Conf. & Eccleſiæ Doctor. *Dupl. II. Claſſ. cum Octava.*

OCTOBER dierum 31.

Dominica, quæ vel occurrit in Kalendis, vel proxime ſequitur, celebratur Solemnitas SS. Roſarii B. M. V. *Dupl. maj. cum 9. Lect. & Commem. Dominicæ occurrentis.*

1. Remigii, Germani, & Vedaſti PPont. CConf. *Semid. p. 239.* Comm. S. Wencesl. & S. Hier.

2. Othonis Ep. & Conf. *Dupl.* Commem. 1. & 2. Octavar. *p. 241.*

3. Joſephi a Cupertino Conf. *Dupl. Comm.* Octavar. *p. 244.*

4. Franciſci Seraphici

Conf. *Dupl. Commem.* Octavar.

5. Octava S. Wenceslai M. *Dupl. p. 244. 9. Lect.* de SS. Placido & Soc. MM. Comm. 1. Oct. S. Hieron. 2. SS. MM.

6. Brunonis Conf. *Dupl. Comm.* Oct. S. Hieron.

7. Octava S. Hieronymi Presb. Conf. *Dupl. p. 248. 9. Lect. & Com.* 1. S. Marci Papæ & Conf. 2. SS. Sergii, Bacchi &c. MM.

8. Birgittæ Vid. *Dupl.*

9. Dionysii Areopagitæ, Episc. Rustici & Eleutherii MM. *Dupl.*

10. Francisci Borgiæ C. *Semid. 9. Lect. & Com.*

11. SS. Gereonis & Soc.

12. MM. *p. 249.*

13. Eduardi Regis Conf. *Semid.*

14. Callisti Papæ & M. *Semid.*

15. Hedwigis Vid. *Dupl. II. Class. cum Oct. p. 250.*

16. Theresiæ Virg. *Dupl. in Rom. heri. 9. Lect.* de S. Gallo Abb. *p. 251.*

Comm. 1. Oct. S. Hedwigis. 2. S. Galli Abb.

17. Dies 3. infra Oct. S. Hedw. Vid. *Sem. p. 251.*

18. Lucæ Evangelistæ. *Dupl. II. Class.*

19. Petri de Alcantara Conf. *Dupl. Comm.* Oct.

20. Joannis Cantii Conf. *Semid. Comm.* Octavæ. *p. 255.*

21. Ursulæ & Sociar. Virg. MM. *Dupl. maj. p. 256. 9. Lect.* de S. Hilarione Abb. *Comm.* 1. Oct. S. Hedwigis. 2. S. Hilarionis.

22. Octava S. Hedwigis Vid. *Dupl. Comm.* S. Severi Ep. C. *p. 259.*

23. Severini Ep. & Conf. *simplex. p. 262.*

24. Raphaëlis Archang. *Duplex.*

25. Crispini & Crispiniani MM. *simpl. p. 263. cum comm.* SS. Chrysanthi, & Dariæ MM.

26. Commemoratio B. MARIÆ V. *Dupl. maj. p. 264. 9. L. & comm.* S. Euaristi Pp. M.

27. *Vi-*

27. *Vigilia.*
28. SIMONIS & JUDÆ Apostolor. *Dupl. II Classis.*
29.
30. THEODORITI Presbyt. M. *Dupl. maj. p. 275.*
31. Wolffgangi Episc. & Conf. *Dupl.* Et *Vigilia* Omnium Sanctor. *de qua 9. Lect. & Commem.*

NOVEMBER dierum 30.

Dominica I. Novembris, Festum Patrocinii B. M. V. *Dupl. maj. Ex indulto Apostolico pro Regnis Hæreditar. August. Domus Austriacæ, & alibi.*

1. OMNIUM SANCTORUM. *Dupl. I. Classis cum Octava.*
2. Commemoratio Omnium Fidelium Defunctorum, *Dupl.* Et de Octava Omnium Sanctor.
3. De Octava OO. SS. *Semid.*
4. Caroli Borromæi Ep. & Conf. *Dupl. 9. Lect.* de SS. Vitale & Agricola MM. *Comm.* 1. Oct. 2. SS. MM.
5. De Octava *Semid.*
6. Leonardi Abbatis, *Dupl. Comm.* Oct. *p. 277.*
7. De Octava, *Semid. & Comm.* S. Willebrordi Ep. C. *p. 280.*
8. Octava Omnium Sanctorum, *Dupl. 9. Lect. & Comm.* SS. Quatuor Coronatorum MM.
9. Dedicatio Basilicæ Salvatoris, *Dupl. 9. Lect. & Commem.* S. Theodori M.
10. Andreæ Avellini C. *Sem. 9. Lect. & Comm.* SS. Tryphonis, Respicii, & Nymphæ MM.
11. MARTINI Episc. & Conf. *Dupl. II. Classis cum Octava. 9. Lect. & Comm.* S. Mennæ M.

Dominica post Festum S.

Martini, *celebratur* Dedicatio Exemptæ Ecclesiæ ad S. Petrum, *Dupl. I. Classis, cum Octava Budissinæ tantum. Extra Budiss. sine Octava.*

12. Livini Ep. M. *Dupl. Comm.* Oct. *p. 280.*

13. Didaci Conf. *Semid. 9. Lect.* de S. Brictio Ep. C. *p. 283. Comm.* 1. Oct. S. Martini. 2. S. Brictii Ep. C.

14. Martini I. Pp. & M. *Semid. in Rom. 12. huj. Comm.* Oct.

15. Commemoratio Passionis Domini, *Dupl. maj. p. 284. Comm.* Oct.

16. Gertrudis V. *Dupl. in Rom. heri. 9. Lect.* de S. Othmaro Abb. *p. 304. Comm.* 1. Oct. S. Martini. 2. S. Othmari Abb.

17. Gregorii Thaumaturgi Ep. Conf. *Semid. Comm.* Oct.

18. Octava S. Martini Ep. C. *Dupl. p. 305.*

19. Elisabeth Reginæ Hungar. Vid. *Dupl. maj. 9. Lect. & Comm.* S. Pontiani Pp. & M.

20. Felicis de Valois Conf. *Dupl.*

21. Præsentatio B. MARIÆ V. *Dupl. maj.*

22. Cæciliæ V. & M *Dupl.*

23. Clementis I. Pp. & M. *Semid. 9. Lect. & Comm.* S. Felicitatis M.

24. Dedicatio Basilicarum SS. Petri & Pauli *Romæ. Dupl. in Rom. 18. huj. 9. Lect. & Com.* S. Chrysogoni M.

25. Catharinæ V. & M. *Dupl. II. Class. cum Oct. p. 309.*

26. Joannis a Cruce C. *Semid. in Rom. 24. huj. 9. Lect.* de S. Conrado Ep. C. *p. 310. Comm.* 1. Octavæ. 2. S. Conradi Ep. C. 3. S. Petri Alexandrini Ep. M.

27. Nicasii Episc. & M. *Dupl. Comm.* Octavæ. *p. 311.*

28. Dies 4. infra Octav. S. Catharinæ V. & M. *Semid. p. 314.*

29. Dies 5. infra Oct. S. Ca-

Cathar. *Sem.* Et *Vigilia* S. Andreæ Ap. *cum 9. Lect. & Comm.* 1. de ea.

2. SS. Saturnini & Mauri MM. *p. 318.*

30. ANDREÆ Apoſt. *Dupl. II. Claſſ. cum Oct. p. 322.*

DECEMBER dierum 31.

Dominica I. Adventus I. Claſſis. Reliquæ ſunt II. Claſſis. Poſt Dominicam III. occurr. Quat. Temp.

1. Dies 2. infra Oct. S. Andreæ Ap. *Semid. p. 322. Comm.* Oct. S. Catharinæ.

2. Octava S. Catharinæ V. & M. *Dupl. Comm.* Oct. S. Andreæ. *p. 325.*

3. Franciſci Xaverii C. *Dupl. Comm.* Oct. S. Andreæ Ap.

4. BARBARÆ V. & M. *Dupl. II. Claſſ. cum Oct. p. 329. Comm.* fer. *tant.*

5. Bibianæ V. & M. *Semid. in Rom. 2. hujus. Comm.* 1. Oct. S. Andreæ. 2. Oct. S. Barb. 3. fer. 4. S. Sabbæ.

6. Nicolai Ep. C. *Dupl. Comm.* 1. Oct. S. Andreæ Ap. 2. Oct. S. Barbaræ. 3. feriæ.

7. Octava S. Andreæ Ap. *Dupl. p. 331. Comm.* Oct. S. Barbaræ & feriæ.

8. CONCEPTIO B. MARIÆ V. *Dupl. I. Claſſ. cum Oct. Comm.* feriæ *tant.*

9. Petri Chryſologi Ep. C. *Dupl. in Rom. 4. huj. Comm.* 1. Oct. Concept. B. M. V. 2. Oct. S. Barbaræ. 3. feriæ.

10. Dies 3. infra Octav. Concept. B. M. V. *Semid. Comm.* 1. Oct. S. Barb. 2. feriæ. 3. S. Melchiadis Pp. M.

11. Octava S. Barbaræ V. & M. *Duplex. p. 336. Comm.* 1. Oct. Concept. 2. feriæ.

12. Damaſi Pp. & Conf. *Semid. in Rom. heri. Comm.* Oct. Concept. & feriæ.

13. Luciæ V. & M. *Dupl. Comm.*

Comm. Oct. Concept. & feriæ.

14. Dies 7. infra Octav. Concept. B. M. V. *Semid. Comm.* feriæ,

15. Octava Concept. B. M. V. *Duplex majus. Comm.* feriæ.

16. Eusebii Vercellens. Ep. M. *Semid. Comm.*

17. feriæ.

18. Expectatio B. MARIÆ V. *Duplex majus.*

19. *Comm.* feriæ.

20. *Vigilia.*

21. THOMÆ Apostoli.

22. *Duplex II. Classis.*

23. *Comm.* feriæ.

24. *Vigilia* Nativitatis DNI.

25. NATIVITAS D. N. JESU CHRISTI. *Dupl. I. Classis cum Oct.*

26. STEPHANI Proto-M. *Dupl. II. Classis cum Octav. Comm.* Octavæ Nativitat.

27. JOANNIS Apostoli & Evangelistæ, *Dupl. II. Classis cum Octava.* Comm. Octavarum.

28. INNOCENTIUM Martyrum. *Dupl. II. Classis cum Octava.* Comm. Octavarum.

29. Thomæ Cantuariensis Ep. & M. *Semid.* Comm. Octavarum.

30. De Dominica infra Octavam Nativitatis, vel de Octava, *Semid.* cum Comm. aliarum Octavarum.

31. Silvestri Pp. & Conf. *Duplex.* cum Comm. Octavarum.

SUFFRAGIA SANCTORUM.

Quando Suffragia seu Commemorationes Communes fiunt, post Commemorationem de SS. Apostolis Petro, & Paulo *ad libitum Commemorationes:*

Pri-

Primum de Patronis Diœceseos.

Ad Vesperas

Antiphona. Isti sunt, quos constituit Dominus super familiam suam, custodes populi fideles. Docuerunt plebem legem perfectam, ducentes eam per semitam rectam ad viam salutis; & pervenerunt ad præmia regni.

℣. Habitabunt in tabernaculo tuo.

℟. Requiescent in monte sancto tuo.

Ad Laudes

Antiphona. Venientes venient cum exultatione, portantes manipulos suos.

℣. Hæc est generatio quærentium eum.

℟. Quærentium faciem Dei Jacob.

Oratio.

Propitiare quæsumus Domine nobis famulis tuis, per Sanctorum Martyrum tuorum, atque Patronorum nostrorum: Joannis Evangelistæ, Donati, Bennonis, atque Brictii merita gloriosa: ut eorum assidua intercessione ab omnibus semper protegamur adversis.

Post hanc, vel si dignitas major requirat, ante hanc, & alias Commemorationes, fiat Commemoratio de Titulo *vel* Patrono Ecclesiæ *propriæ, sive* Parochialis.

Deinde de Omnibus sanctis.

Ad Vesperas, & Laudes

Antiphona. Sancti Dei omnes intercedere digneminí apud eum, qui vos elegit, pro nostris necessitatibus, ac nostra, omniumque salute.

Ad

Ad Vesperas

℣. Lætamini in Domino, & exultate justi.
℟. Et gloriamini omnes recti corde.

Ad Laudes

℣. Exultabunt sancti in gloria.
℟. Lætabuntur in cubilibus suis.

Oratio.

Omnes Sancti tui, quæsumus Domine, nos ubique adjuvent; ut, dum eorum merita recolimus, patrocinia sentiamus: & pacem tuam nostris concede temporibus, & ab Ecclesia tua cunctam repelle nequitiam: iter, actus, & voluntates nostras, & omnium famulorum tuorum, in salutis tuæ prosperitate dispone: benefactoribus nostris sempiterna bona retribue: & omnibus fidelibus defunctis requiem æternam concede.

Ultimo pro Pace.

GLorIa Deo,
aC honor
Beatæ MarIæ VIrgInI,
SanCtIs qVoqVe PatronIs noStrIs.

FESTA PROPRIA
EXEMPTÆ DIOECESIS
ROMANO - MISNENSIS.

FESTA JANUARII.

Die XV. Januarii.

SS. Faciei Salvatoris.

Duplex majus.

IN I. VESPERIS.

I. Antiph. Exulta, & lauda habitatio Sion: quia magnus in medio tui Sanctus Israel; cujus vultus, ut petra durissima.

Psalm. Dixit Dominus. *cum reliquis de Dominica, & loco ultimi:* Laudate Dominum omnes gentes.

II. Antiph. Justi confitebuntur nomini tuo, & habitabunt recti cum vultu tuo.

III. Antiph. Beatus populus, qui scit jubilationem. Domine, in lumine vultus tui ambulabunt.

IV. Antiph. Laudabunt Dominum, requirentes eum; vultum ejus deprecabuntur omnes divites plebis.

V. Antiph. Quærite Dominum, & virtutem ejus; quærite faciem ejus semper.

Capitulum. Zach. 8. v. 20. Hæc dicit Dominus: usquequo veniant populi, & habitent in civitatibus multis. Et vadant habitatores, unus ad alterum, dicentes: Eamus, & deprecemur faci-

faciem Domini, & quæramus Dominum Exercituum.

Hymnus.

O Sole Facies pulchrior,
Quæ sola superis sedibus
Largiris æternum diem,
Et Cœlitum beas choros!
Mortale nos genus aspice,
Quorum impotens quondam furor,
Per sputa, spinas, verbera,
Speciem Tibi, decusque abstulit.
Quæ sacra restant stigmata,
Tantum exprobrant nobis scelus;
Sperare sed simul jubent,
Reisque parci postulant.
Amoris o miraculum!
Quæ debitæ sunt sontibus,
Formam nocentis induens
Luit ipse pœnas Filius.
Quin ergo amorem reddimus,
Et igne sancto fervidi
Sequamur impigre, Dei
Exempla quo dudum vocant.
Gressus Redemptor dirige,
Vt consequamur terminum,
Tuique vultus gloriæ
Reddamur olim compotes.
JESU, Tibi sit gloria,
Qui natus es de Virgine,
Cum Patre & almo Spiritu
In sempiterna Sæcula.
Amen.

Sic terminantur hymni ad reliquas horas.

℣. Signatum est super nos lumen vultus tui Domine. ℟. Dedisti lætitiam in corde meo.

Ad Magnificat Antiphona.

Vidimus eum, quasi, cui non erat species, neque decor, despectum & novissimum virorum: virum dolorum, & scientem infirmitatem, & cujus absconditus est vultus.

Ora-

Oratio.

Domine JESU Christe, invisibilis Patris vera imago! Qui Sanctissimæ Faciei tuæ effigiem fidelibus reliquisti: da gratiam, quæsumus, ut per eam inter sæculi hujus tenebras illustrati, Te a facie ad faciem in gloria videre mereamur. Qui vivis & regnas cum Deo Patre.

Commem. 1. præcedentis.
2. S. Mauri Abbatis.

AD MATUTINUM.

Invitatorium.

Christum Regem, in cujus faciem Angeli desiderant prospicere, * Venite, adoremus.

Psalm. Venite, exultemus.

Hymnus, ut in I. Vesperis.

IN I. NOCTURNO.

Antiph. Signatum est super nos lumen vultus tui Domine: oleo lætitiæ repleviſti nos.

Psalmus 4.

Cum invocarem, exaudivit me Deus justitiæ meæ: in tribulatione dilatâsti mihi.

Miserere mei: & exaudi orationem meam.

Filii hominum usquequo gravi corde: ut quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium?

Et scitote, quoniam mirificavit Dominus sanctum suum: Dominus exaudiet me, cum clamavero ad eum.

Irascimini, & nolite peccare: quæ dicitis in cordibus vestris, in cubilibus vestris compungimini.

Sacrificate sacrificium justitiæ, & sperate in Domino: Multi dicunt, quis ostendit nobis bona?

Signatum est super nos lumen vultus tui Domine: dedisti lætitiam in corde meo.

A fructu frumenti, vini, & olei sui: multiplicati sunt.

In pace in idipsum: dormiam, & requiescam;

Quoniam tu Domine singulariter in spe: constituisti me.

Antiph. Signatum est super nos lumen vultus tui Domine: oleo lætitiæ repleviſti nos.

Antiph. Quoniam justus Dominus, æquitatem vidit vultus ejus.

Psalmus 10.

In Domino confido, quomodo dicitis animæ meæ: transmigra in montem sicut passer?

Quoniam ecce peccatores intenderunt arcum, paraverunt sagittas suas in pharetra: ut sagittent in obscuro rectos corde.

Quoniam quæ perfecisti, destruxerunt: justus autem quid fecit?

Dominus in templo sancto suo: Dominus in Cœlo sedes ejus.

Oculi ejus in paüperem respiciunt: palpebræ ejus interrogant filios hominum.

Dominus interrogat justum, & impium: qui autem diligit iniquitatem, odit animam suam.

Pluet super peccatores laqueos: ignis,& sulphur, & spiritus procellarum, pars calicis eorum.

Quoniam justus Dominus, & justitias dilexit: æquitatem vidit vultus ejus.

Antiph. Quoniam justus Dominus, æquitatem vidit vultus ejus.

Antiph. Notas feciſti vias vitæ: adimplebis nos lætitia cum vultu tuo.

Psalmus 15.

Conserva me Domine, quoniam speravi in te: dixi Domino, Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges.

Sanctis, qui sunt in terra ejus: mirificavit omnes voluntates meas in eis.

Multiplicatæ sunt infirmitates eorum: postea acceleraverunt.

Non congregabo conventicula eorum de sangui-

guinibus: nec memor ero nominum eorum per labia mea.

Dominus pars hæreditatis meæ, & calicis mei: tu es, qui restitues hæreditatem meam mihi.

Funes ceciderunt mihi in præclaris: etenim hæreditas mea præclara est mihi.

Benedicam Dominum, qui tribuit mihi intellectum: insuper & usque ad noctem increpuerunt me renes mei.

Providebam Dominum in conspectu meo semper: quoniam a dextris est mihi, ne commovear.

Propter hoc lætatum est cor meum, & exultavit lingua mea: insuper & caro mea requiescet in spe.

Quoniam non derelinques animam meam in inferno: nec dabis sanctum tuum videre corruptionem.

Notas mihi fecisti vias vitæ, adimplebis me lætitia cum vultu tuo: delectationes in dextera tua usque in finem.

Antiph. Notas fecisti vias vitæ: adimplebis nos lætitia cum vultu tuo.

℣. Signatum est super nos lumen vultus tui Domine. ℟. Dedisti lætitiam in corde meo.

Lectio I.

De Prophetia Zachariæ Prophetæ.

Cap. 8. *a v.* 20.

Hæc dicit Dominus Exercituum: Usquequo veniant populi, & habitent in civitatibus multis, & vadant habitatores, unus ad alterum, dicentes: Eamus, & deprecemur faciem Domini, & quæramus Dominum Exercituum, vadam etiam ego. Et venient populi multi, & gentes robustæ ad quærendum Dominum Exercituum in Jerusalem, & deprecandum faciem Domini.

℟. Deprecatus sum faciem tuam in toto corde meo: * Miserere mei secundum eloquium tuum. ℣. Faciem tuam illumina super servum tuum, & doce me justificationes tuas. * Miserere.

Lectio II.

Hæc dicit Dominus Exercituum: In diebus illis, in quibus apprehendent decem homines ex omnibus linguis Gentium, & apprehendent fimbriam viri Judæi, dicentes: Ibimus vobiscum: audivimus enim, quoniam Deus vobiscum est.

℟. Columba mea in foraminibus petræ, ostende mihi faciem tuam, sonet vox tua in auribus meis: * Vox enim tua dulcis, & facies tua decora. ℣. Notas mihi fecisti vias vitæ: adimplebis me lætitia cum vultu tuo. * Vox enim tua.

Lectio III.

De Epistola II. B. Pauli Apostoli ad Corinthios.

Cap. 4.

Quodsi etiam opertum est Evangelium nostrum; in iis, qui pereunt, est opertum: in quibus Deus hujus sæculi excæcavit mentes, ut non fulgeat illis illuminatio Evangelii gloriæ Christi, qui est imago Dei. Non enim nosmetipsos prædicamus, sed JEsum Christum Dominum nostrum; nos autem servos vestros per Jesum. Quoniam Deus, qui dixit de tenebris lucem splendescere, ipse illuxit in cordibus nostris, ad illuminationem scientiæ claritatis Dei, in facie Christi JESU.

℟. Deus, qui fecit de tenebris lumen splendescere, illuxit in cordibus nostris: * Ad illuminationem scientiæ claritatis Dei in facie JESU Christi. ℣. Exortum est in tene-

tenebris lumen rectis corde, misericors, & miserator, & justus. * Ad illuminationem. Gloria Patri. * Ad illuminationem.

IN II. NOCTURNO.

Antiph. Quoniam dabis eum in benedictionem in sæculum sæculi: lætificabis eum in gaudio cum vultu tuo.

Psalmus 20.

Domine in virtute tua lætabitur rex: & super salutare tuum exultabit vehementer.

Desiderium cordis ejus tribuisti ei: & voluntate labiorum ejus non fraudasti eum.

Quoniam prævenisti eum in benedictionibus dulcedinis: posuisti in capite ejus coronam de lapide pretioso.

Vitam petiit à te: & tribuisti ei longitudinem dierum in sæculum, & in sæculum sæculi.

Magna est gloria ejus in salutari tuo: gloriam & magnum decorem impones super eum.

Quoniam dabis eum in benedictionem in sæculum sæculi: lætificabis eum in gaudio cum vultu tuo.

Quoniam rex sperat in Domino: & in misericordia Altissimi non commovebitur.

Inveniatur manus tua omnibus inimicis tuis: dextera tua inveniat omnes, qui te oderunt.

Pones eos ut clibanum ignis in tempore vultus tui: Dominus in ira sua conturbabit eos, & devorabit eos ignis.

Fructum eorum de terra perdes: & semen eorum à filiis hominum.

Quoniam declinaverunt in te mala: cogitaverunt consilia, quæ non potuerunt stabilire.

Quoniam pones eos dorsum: in reliquiis tuis præparabis vultum eorum.

Exaltare Domine in virtute tua: cantabimus, & psallemus virtutes tuas.

Antiph. Quoniam dabis eum in benedictionem in sæculum sæculi: lætificabis eum in gaudio cum vultu tuo.

Antiph. Hæc est generatio quærentium eum: quærentium faciem Dei Jacob.

Psalmus 23.

Domini est terra, & plenitudo ejus: orbis terrarum, & universi qui habitant in eo.

Quia ipse super maria fundavit eum: & super flumina præparavit eum.

Quis ascendet in montem Domini: aut quis stabit in loco sancto ejus?

Innocens manibus, & mundo corde: qui non accepit in vano animam suam, nec juravit in dolo proximo suo.

Hic accipiet benedictionem à Domino: & misericordiam à Deo salutari suo.

Hæc est generatio quærentium eum: quærentium faciem Dei Jacob.

Attollite portas, principes, vestras, & elevamini portæ æternales: & introibit Rex gloriæ.

Quis est iste Rex gloriæ: Dominus fortis & potens, Dominus potens in prælio.

Attollite portas, principes, vestras, & elevamini portæ æternales: & introibit Rex gloriæ.

Quis est iste Rex gloriæ: Dominus virtutem ipse est Rex gloriæ.

Antiph. Hæc est genetio quærentium eum: quærentium faciem Dei Jacob.

Antiph. Protector noster aspice Deus, & respice in faciem Christi tui.

Psalmus 26.

Dominus illuminatio mea, & salus mea: quem timebo?

Dominus protector vitæ meæ: à quo trepidabo?

Dum

Dum appropiant super me nocentes: ut edant carnes meas.

Qui tribulant me inimici mei: ipsi infirmati sunt, & ceciderunt.

Si consistant adversum me castra: non timebit cor meum.

Si exurgat adversum me prælium: in hoc ego sperabo.

Unam petii à Domino, hanc requiram: ut inhabitem in Domo Domini omnibus diebus vitæ meæ.

Ut videam voluptatem Domini: & visitem templum ejus.

Quoniam abscondit me in tabernaculo suo: in die malorum protexit me in abscondito tabernaculi sui.

In petra exaltavit me: & nunc exaltavit caput meum super inimicos meos.

Circuivi, & immolavi in tabernaculo ejus hostiam vociferationis: cantabo, & psalmum dicam Domino.

Exaudi Domine vocem meam, qua clamavi ad te: miserere mei, & exaudi me.

Tibi dixit cor meum, exquisivit te facies mea: faciem tuam Domine requiram.

Ne avertas faciem tuam à me: ne declines in ira à servo tuo.

Adjutor meus esto: ne derelinquas me, neque despicias me Deus salutaris meus.

Quoniam pater meus, & mater mea dereliquerunt me: Dominus autem assumpsit me.

Legem pone mihi Domine in via tua: & dirige me in semitam rectam propter inimicos meos.

Ne tradideris me in animas tribulantium me: quoniam insurrexerunt in me testes iniqui, & mentita est iniquitas sibi.

Credo videre bona

Domini in terra viventium.

Expecta Dominum, viriliter age: & confortetur cor tuum, & sustine Dominum.

Antiph. Protector noster aspice Deus, & respice in faciem Christi tui.

℣. Ne avertas à me faciem tuam Domine. ℟. Et ne declines in ira à servo tuo.

Ex antiquo Breviario Missanensi.

Lectio IV.

Salvator noster charissimi, qui ad satisfaciendum pro peccatis nostris, in corpore assumpto multa tormenta sustinere dignatus est; voluit etiam in Facie sua sacratissima multipliciter illudi, & despicabiliter tractari; nam Facies ejus præclarissima, & omnium oculis gratissima, à filiis tenebrarum velatur, conspuitur, contunditur, alapis cæditur; sanguine, livoribus, & sputis deturpatur, ut quasi leprosa sine specie, & decore æstimaretur. Ex quibus aperte cognoscimus inæstimabilem Salvatoris erga nos charitatem: qui etiam in signum dilectionis, consummatis omnibus, Faciem ad nos de cruce, quasi ad oscula illam porrigendo, inclinavit.

℟. Si inveni gratiam in conspectu tuo, ostende mihi faciem tuam, ut sciam te, & inveniam gratiam ante oculos tuos: * Respice populum tuum, gentem hanc. ℣. Ostende Domine faciem tuam nobis, & miserere nostri. * Respice.

Lectio V.

Verum, quanto hæc Facies Sacratissima abjectior apparuit in passione, tanto glorioſior facta est in resurrectione & ascensione, ubi in glorificato corpore Dominus gloriosam exhibuit Faciem, in quam nimirum

rum prospicere etiam desiderant Angeli; quam insuper adorat, veneratur, & deprecatur tota cœlestis curia; in qua sola omnes electi jucundantur, delectantur, & plene satiantur. Hanc gloriosam Faciem dum Petrus in monte Thabor pro modica morula vidisset; mox jubilando dixit: Bonum est nos hic esse. O quam bonum, & optimum erit, sine intermissione Vultui Salvatoris nostri in patria semper assistere, & illum facie ad faciem speculari! Hinc nobis spes data est; inde exultatio ex spe cumulata, quando videbimus Faciem Dei in jubilo, & sine termino, quem nunc in effigie per speculum videmus, & in ænigmate.

℟. Inebriati sunt ab ubertate domus tuæ: & torrente voluptatis tuæ potásti eos. * Quoniam apud te est fons vitæ, & in lumine tuo videbimus lumen. ℣. Videmus nunc per speculum in ænigmate: tunc autem facie ad faciem. * Quoniam apud te.

Lectio VI.

Salvatoris enim nostri Faciem, tota mentis devotione venerari nos condecet; hæc namque Effigies benedicta in signum fœderis & reconciliationis data, in memoriale dulcissimum, delectabile, & jucundum, nobis est relicta, in qua redemptionis & glorificationis nostræ præclara contemplamur beneficia. Quoniam in illo, ut in vexillo, resplendent redemptionis nostræ insignia; imo ipse Creator, Redemptor, & Glorificator JESUS CHRISTUS mundi Salvator, in assumpta humanitate speciosus forma præ filiis hominum apparuit, & Faciem suam formosam, jucundam, & gratiosam omni-

omnibus exhibuit, ita, ut nullius hominis facies tam benigna, & decora, sine macula, & ruga fuerit, sicut illius Facies benedicta.

℟. Tu autem Domine in æternum permanes: * Et memoriale tuum in generationem, & generationem. ℣. Benedictus es Domine Deus, qui facis mirabilia solus; & benedictus Vultus Majestatis tuæ in æternum. * Et memoriale. Gloria Patri. * Et memoriale.

IN III. NOCTVRNO.

Antiph. Speciosus forma præ filiis hominum, diffusa est gratia in labiis tuis.

Psalmus 44.

Eructavit cor meum verbum bonum: dico ego opera mea Regi.

Lingua mea calamus scribæ: velociter scribentis.

Speciosus forma præ filiis hominum, diffusa est gratia in labiis tuis: propterea benedixit te Deus in æternum.

Accingere gladio tuo super femur tuum: potentissime.

Specie tua, & pulchritudine tua: intende, prospere procede, & regna.

Propter veritatem, & mansuetudinem, & justitiam: & deducet te mirabiliter dextera tua.

Sagittæ tuæ acutæ, populi sub te cadent: in corda inimicorum regis.

Sedes tua Deus in sæculum sæculi: virga directionis, virga regni tui.

Dilexisti justitiam, & odisti iniquitatem: propterea unxit te Deus, Deus tuus, oleo lætitiæ præ consortibus tuis.

Myrrha, & gutta, & casia à vestimentis tuis, à domibus eburneis: ex quibus delectaverunt te filiæ regum in honore tuo.

Asti-

Astitit regina à dextris tuis in vestitu deaurato: circumdata varietate.

Audi filia, & vide, & inclina aurem tuam: & obliviscere populum tuum, & domum patris tui.

Et concupiscet Rex decorem tuum: quoniam ipse est Dominus Deus tuus, & adorabunt eum.

Et filiæ Tyri in muneribus: vultum tuum deprecabuntur omnes divites plebis.

Omnis gloria ejus filiæ Regis ab intus: in fimbriis aureis circumamicta varietatibus.

Adducentur Regi virgines post eam: proximæ ejus afferentur tibi.

Afferentur in lætitia, & exultatione: adducentur in templum Regis.

Pro patribus tuis nati sunt tibi filii: constitues eos principes super omnem terram.

Memores erunt nominis tui: in omni generatione, & generationem.

Propterea populi confitebuntur tibi in æternum: & in sæculum sæculi.

Antiph. Speciosus forma præ filiis hominum, diffusa est gratia in labiis tuis.

Antiph. Sitivit anima mea ad Deum vivum, quando veniam, & apparebo ante faciem Dei.

Psalmus 41.

Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum: ita desiderat anima mea ad te Deus.

Sitivit anima mea ad Deum fortem vivum: quando veniam, & apparebo ante faciem Dei?

Fuerunt mihi lacrymæ meæ panes die ac nocte: dum dicitur mihi quotidie, ubi est Deus tuus?

Hæc recordatus sum, & effudi in me animam mea

meam: quoniam transibo in locum tabernaculi admirabilis usque ad domum Dei.

In voce exultationis, & confessionis: sonus epulantis.

Quare tristis es anima mea: & quare conturbas me?

Spera in Deo, quoniam adhuc confitebor illi: salutare vultus mei, & Deus meus.

Ad meipsum anima mea conturbata est: propterea memor ero tui de terra Jordanis, & Hermoniim à monte modico.

Abyssus abyssum invocat: in voce cataractarum tuarum.

Omnia excelsa tua, & fluctus tui: super me transierunt.

In die mandavit Dominus misericordiam suam: & nocte canticum ejus.

Apud me oratio Deo vitæ meæ: dicam Deo, Susceptor meus es.

Quare oblitus es mei: & quare contristatus incedo, dum affligit me inimicus?

Dum confringuntur ossa mea: exprobraverunt mihi qui tribulant me inimici mei.

Dum dicunt mihi per singulos dies, ubi est Deus tuus: quare tristis es anima mea? & quare conturbas me?

Spera in Deo, quoniam adhuc confitebor illi: salutare vultus mei, & Deus meus.

Antiph. Sitivit anima mea ad Deum vivum, quando veniam, & apparebo ante faciem Dei.

Antiph. Confessio, & pulchritudo in conspectu ejus: Sanctimonia, & magnificentia in sanctificatione ejus.

Psalmus 95.

Cantate Domino canticum novum: cantate Domino omnis terra.

Cantate Domino, & bene-

benedicite nomini ejus: annuntiate de die in diem salutare ejus.

Annuntiate inter gentes gloriam ejus: in omnibus populis mirabilia ejus.

Quoniam magnus Dominus, & laudabilis nimis: terribilis est super omnes Deos.

Quoniam omnes dii gentium dæmonia: Dominus autem cœlos fecit.

Confessio, & pulchritudo in conspectu ejus: sanctimonia, & magnificentia in sanctificatione ejus.

Afferte Domino patriæ gentium, afferte Domino gloriam & honorem: afferte Domino gloriam nomini ejus.

Tollite hostias, & introite in atria ejus: adorate Dominum in atrio sancto ejus.

Commoveatur à facie ejus universa terra: dicite in gentibus quia Dominus regnavit.

Etenim correxit orbem terræ, qui non commovebitur: judicabit populos in æquitate.

Lætentur cœli, & exultet terra, commoveatur mare, & plenitudo ejus: gaudebunt campi, & omnia quæ in eis sunt.

Tunc exultabunt omnia ligna silvarum à facie Domini, quia venit: quoniam venit judicare terram.

Judicabit orbem terræ in æquitate: & populos in veritate sua.

Antiph. Confessio, & pulchritudo in conspectu ejus: sanctimonia, & magnificentia in sanctificatione ejus.

℣. Faciem tuam illumina super servum tuum Domine. ℟. Et doce me justificationes tuas.

Lectio sancti Evangelii secundum Lucam.

Lectio VII. *Cap.* 10.

In illo tempore: Exultavit Jesus in Spiritu san-

sancto, & dixit: Confiteor tibi Pater, Domine cœli, & terræ, quia abscondisti hæc à sapientibus, & prudentibus, & revelásti ea parvulis. Etiam Pater, quoniam sic placitum fuit ante te. Et reliqua.

Homilia Sancti Gregorii Papæ.

Lib. 34. Moral. cap. ult.

Audiamus cuncti, quod Magistra veritas docet, dicens: Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde. Ad hoc namque unigenitus Dei Filius, formam infirmitatis nostræ suscepit: ad hoc invisibilis, non solum visibilis, sed etiam despectus apparuit: ad hoc contumeliarum ludibria, irrisionum opprobria, passionumque tormenta toleravit: ut superbum non esse hominem, doceret humilis Deus. Quanta ergo humilitatis virtus est: propter quam solam veraciter edocendam, is, qui sine æstimatione magnus est, usque ad passionem factus est parvus?

℟. Corpus suum dedit percutientibus, et genas suas vellentibus: * Faciem suam non avertit ab increpantibus, & conspuentibus in se. ℣. Qui peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus. * Faciem suam.

Lectio VIII.

Quia enim originem perditioni nostræ superbia præbuit diaboli, instrumentum redemptionis nostræ inventa est humilitas Dei. Hostis quippe noster, magnus inter omnia conditus, videri super omnia voluit elatus: Redemtor autem noster, magnus manens super omnia fieri inter omnia dignatus est parvus. Sed melius et elationis causam detegimus, & fundamenta humilitatis aperimus: si brevi commemoratione perstrin-

ſtringimus, quid mortis Autor, quid vitæ conditor dicat. Ille namque ait: In Cœlum aſcendam; Iſte autem per Prophetam dicit: Vita mea inferno appropinquavit.

℟. Confitebimur tibi Deus, confitebimur, & invocabimus nomen tuum; quia mirabilis es Domine, * & facies tua plena eſt gratiarum. ℣. Tibi dixit cor meum, exquiſivit te facies mea: Faciem tuam Domine requiram. * Et facies tua.

Gloria Patri. * Et Facies tua.

Lectio IX. de S. Mauro Abbate ut in Romano.

Si vero officium de SS. Facie transferri contingat, nona Lectio erit, ut ſequitur.

Lectio IX.

Ille nihil aliud mentes ſibi ſubditas docet, quam celſitudinis culmen appetere, cuncta æqualia mentis tumore tranſcendere, ſocietatem omnium hominum alta elatione tranſire, ac ſeſe & contra potentiam conditoris erigere; ſicut de eisdem per Pſalmiſtam dicitur: Tranſierunt in diſpoſitionem cordis, cogitaverunt, & locuti ſunt nequitias, iniquitatem in excelſo locuti ſunt. Iſte ad ſputa, ad palmas, ad colaphos, ad ſpineam coronam, ad crucem, ad lanceam, atque ad mortem veniens, membra ſua admonet, dicens: Si quis mihi miniſtrat, me ſequatur.

Te Deum Laudamus.

Ad Laudes, & per Horas.

I. Antiph. Speciosus forma præ filiis hominum, decorem & fortitudinem induit Dominus, accinctus potentia.

Pſalm. Dominus re-

gnavit. *cum reliquis de Laudibus Dominicæ.*

II. Antiph. Justitia, & judicium præparatio sedis tuæ: misericordia & veritas præcedent faciem tuam.

III. Antiph. Miserere nostri Domine, & benedic nobis: Vultum tuum illumina super nos, & miserere nostri.

IV. Antiph. Benedictus es Domine in firmamento Cœli, quia non avertisti faciem tuam à populo tuo.

V. Antiph. Cantate Domino, quia magnifice fecit: annunciate hoc in universa terra.

Capitulum. 2. *Corint.* 4.

Quoniam Deus, qui fecit de tenebris lumen splendescere, ipse illuxit in cordibus nostris ad illuminationem scientiæ claritatis Dei in facie Christi JESU.

Hymnus.

JESU voluptas cordium,
Fons vivus, lumen mentium,
Excedens omne gaudium,
Et omne desiderium.

Mane nobiscum Domine,
Tuique vultus lumine
Dispelle mentis tenebras,
Salutis monstra semitas.

Cor nostrum quando visitas,
Mox pura lucet veritas,
Mundi vilescit vanitas,
Et intus fervet charitas.

Quem tuus amor sauciat,
Nil præter Jesum cogitat:
Quam felix est, quem satiat!
Quid ultra sit, quod cupiat?

O Rex supernæ gloriæ!
Non tantum in ænigmate,
Sed Te fac brevi cernere
A facie ad faciem. Amen.

℣. Domine, in lumine vultus tui ambulabunt. ℟. Et in nomine tuo exultabunt tota die.

Ad

Ad Benedictus Antiph. 2. *Corinth.* 3. 18.

Nos vero omnes revelata facie gloriam Domini speculantes, in eandem imaginem transformamur à claritate in claritatem, tanquam à Domini spiritu.

Oratio.

Domine JESU Christe, invisibilis Patris vera imago! Qui sanctissimæ Faciei tuæ effigiem fidelibus reliquisti: da gratiam, quæsumus, ut per eam inter sæculi hujus tenebras illustrati, Te a facie ad faciem in gloria videre mereamur. Qui vivis & regnas cum Deo Patre.

Commem. S. Mauri Abbatis.

Ad Primam. ℟. *breve.* Christe Fili. ℣. Qui natus es de Maria Virgine.

Ad Tertiam.

Antiph. Justitia, & judicium.

Capitulum. *Zach.* 8.

Hæc dicit Dominus: usquequo veniant populi, & habitent in civitatibus multis, & vadant habitatores unus ad alterum dicentes: Eamus, & deprecemur faciem Domini, & qnæramus Dominum exercituum.

℟. *br.* Signatum est super nos. * Lumen vultus tui Domine. Signatum est. ℣. Dedisti lætitiam in corde meo. * Lumen vultus. Gloria Patri. Signatum est.

℣. Ne avertas a me faciem tuam Domine. ℟. Et ne declines in ira a servo tuo.

Oratio ex Laudibus.

Ad Sextam.

Antiph. Miserere nostri.

Capitulum. *Zach.* 8.

Vadam etiam ego, & venient populi multi, & gentes robustæ ad

quærendum Dominum Exercituum in Jerusalem, & deprecandam faciem Domini.

℟. *br.* Ne avertas a me * Faciem tuam Domine. Ne avertas. ℣. Ne declines in ira a servo tuo. * Faciem tuam.

Gloria Patri. Ne avertas.

℣. Faciem tuam illumina super Servum tuum Domine. ℟. Et doce me justificationes tuas.

Oratio ut Supra.

Ad Nonam.

Antiph. Cantate Domino.

Capitulum. *Zach.* 8.

Hæc dicit Dominus Exercituum: In diebus illis, in quibus apprehendent decem homines ex omnibus linguis gentium, & apprehendent fimbriam viri Judæi, dicentes: Ibimus vobiscum, audivimus enim, quoniam Deus vobiscum est.

℟. *br.* Faciem tuam illumina super * Servum tuum Domine. Faciem tuam. ℣. Et doce me * justificationes tuas. Servum tuum.

Gloria Patri. Faciem tuam.

℣. Domine, in lumine vultus tui ambulabunt. ℟. Et in nomine tuo exultabunt tota die.

Oratio ut in Laudibus.

IN II. VESPERIS.

Antiph. Speciosus forma. *cum reliquis de Laudibus. Psalmi de Dominica. Capitulum, Hymnus, & ℣. ut in I. Vesperis.*

Ad Magnificat Antiph.

Respice nos Domine, & ostende nobis lucem miserationum tuarum; a mane usque ad Vesperam esto brachium nostrum, & salus nostra in tempore tribulationis.

Oratio ut in Laudibus.

Commem. S. Marcelli Papæ, & M.

Die

Die XX. Januarii.
SS. Fabiani, & Sebastiani MM.

Dupl. II. Classis cum octava omnia ut in Breviario.

In I. Noct. Lectiones: Fratres, debitores, *de Communi plur. MM. Reliquæ ut in Romano.*

In II. Vesperis (ubi non celebratur in foro) a Capit. de sequenti cum comm. præced.

Die XXI. Januarii.
S. Agnetis Virginis & Martyr.

Duplex II. Classis cum Octava. omnia ut in Romano.

In II. Vesp. comm. sequ. tantum.

Die XXII. Januarii.
S. Vincentii Martyris.

Duplex.

Omnia dicuntur de Communi unius Mart. præter ea, quæ hic sequuntur.

Oratio.

Adesto Domine supplicationibus nostris, ut qui ex iniquitate nostra reos nos esse cognoscimus: beati Vincentii Martyris tui intercessione liberemur. Per Dominum.

In I. Nocturno Lectiones de Scriptura occurrente.

In Secundo Nocturno.

Lectio IV.

Vincentius Oscæ in Hispania citeriore natus, a prima ætate studiis deditus, sacras litteras a Valerio Cæsar-Augustano Episcopo didicit; cujus etiam partes suscepit prædicandi Evangelium, quod Episcopus propter linguæ impedimentum prædicationis officio fungi non poterat. Ea re ad Dacianum, Provinciæ à Diocletiano & Maximiano præpositum, delata; Vincentius Cæsar-Augustæ comprehenditur, & vinctus ad Dacianum Valentiam adducitur.

℟. Honestum fecit illum

lum Dominus, & custodivit eum ab inimicis, & à Seductoribus tutavit illum: * Et dedit illi claritatem æternam. ℣. Descenditque cum illo in foveam: & in vinculis non dereliquit eum. * Et dedit illi.

Lectio V.

Ubi verberibus & equuleo tortus, multis præsentibus; cum nulla aut tormentorum vi, aut acerbitate, vel lenitate verborum a proposito deterreri posset; in craticula impositus prunis ardentibus suppositis, ac ferreis unguibus excarnificatus, candentibusque laminis exustus, iterum ducitur in carcerem stratum testaceis fragmentis, ut ejus nudum corpus somno oppressum, à subjectis etiam testarum aculeis torqueretur. Verum, illo in tenebricosa incluso custodia, clarissimus splendor obortus totum carcerem illustravit; quæ lux, cum summa admiratione omnes, qui aderant, affecisset, res à custode carceris ad Dacianum defertur.

℟. Desiderium animæ ejus tribuisti ei Domine, * Et voluntate labiorum ejus non fraudásti eum. ℣. Quoniam prævenisti eum in benedictionibus dulcedinis: posuisti in capite ejus coronam de lapide pretioso. * Et voluntate.

Lectio VI.

Qui eductum in molli culcitra collocat; & quem cruciatibus in suam sententiam trahere non poterat, deliciis perducere conatur. Sed invictus Vincentii animus, JESU CHRISTI fide, speque munitus, vicit omnia; & ignis, ferri, tortorum immanitate superata; victor ad cœlestem martyrii coronam evolavit undecimo Calendas Februarii. Cujus

jus corpus, cum projectum esset inhumatum: corvus & à volucribus, & à lupo, unguibus, rostro, & alis mirabiliter defendit. Qua re cognita, Dacianus illud in altum mare demergi jubet; sed inde etiam divinitus ejectum ad littus, Christiani sepeliunt.

℟. Stola jucunditatis induit eum Dominus; * Et coronam pulchritudinis posuit super caput ejus. ℣. Cibavit illum Dominus pane vitæ, & intellectus: & aqua sapientiæ salutaris potavit illum. * Et coronam. Gloria Patri. * Et coronam.

In Tertio Nocturno.

Lectio sancti Evangelii secundum Joannem.

Lectio VII. Cap. 12. d.

In illo tempore: Dixit JESUS discipulis suis: Amen, amen dico vobis: nisi granum frumenti cadens in terram, mortuum fuerit; ipsum solum manet. Et reliqua.

Homilia Sancti Augustini Episcopi.

Tractat. 51. in Joan. sub med.

Ipse Dominus JESUS erat granum mortificandum, & multiplicandum: mortificandum infidelitate judæorum, multiplicandum fide populorum. Jam vero exhortans ad Passionis suæ sectanda vestigia: Qui amat, inquit, animam suam, perdet eam. Quod duobus modis intelligi potest. Qui amat, perdet: id est, si amas, perdes. Si cupis vitam tenere in Christo, noli mortem timere pro Christo. Item alio modo: Qui amat animam suam, perdet eam. Noli amare, ne perdas: noli amare in hac vita, ne perdas in æterna vita.

℟. Corona aurea super caput ejus, * Expressa signo sanctitatis, gloria honoris, & opus

fortitudinis. ℣. Quoniam prævenisti eum in benedictionibus dulcedinis, posuisti in capite ejus coronam de lapide pretioso. * Expressa.

Lectio VIII.

Hoc autem, quod posterius dixi, magis habere videtur Evangelicus sensus. Sequitur enim: Et qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam æternam custodit eam. Ergo, quod supra dictum est: Qui amat, subintelligitur, in hoc mundo, ipse utique perdet; qui autem odit, utique in hoc mundo, in vitam æternam ipse custodit eam. Magna & mira sententia: quemadmodum sit hominis in animam suam amor, ut pereat; odium, ne pereat. Si male amaveris, tunc odisti: si bene oderis, tunc amasti. Felices! qui oderunt custodiendo, ne perdant amando.

℟. Hic est vere Martyr, qui pro Christi nomine sanguinem suum fudit: * Qui minas judicum non timuit, nec terrenæ dignitatis gloriam quæsivit, sed ad cœlestia regna pervenit. ℣. Justum deduxit Dominus per vias rectas, & ostendit illi regnum Dei. * Qui minas.

Gloria Patri. * Qui minas judicum.

Lectio IX.

Sed vide, ne tibi subrepat, ut teipsum velis interimere, sic intelligendo, quod debes odisse in hoc mundo animam tuam. Hinc enim quidam maligni atque perversi homines, & in seipsos crudeliores, & sceleratiores homicidæ, flammis se donant, aquis se præfocant, præcipitio se collidunt, & pereunt. Hoc Christus non docuit; immo etiam diabolo, præcipitium suggerenti, respondit:

dit: Redi retro satanas; scriptum est: Non tentabis Dominum Deum tuum. Petro autem dixit, significans qua morte clarificaturus erat Deum: Cum esses junior, cingebas te, & ambulabas, quo volebas: cum autem senueris, alter te cinget, & feret, quo tu non vis. Ubi satis expressit: non à seipso, sed ab alio debere occidi, qui vestigia sequitur Christi.

Te Deum laudamus.

In Laud. commem. Octavar. Vesp. de sequenti Festo cum comm. præc. & octavar. ac S. Emerent. V. & M.

Antiph. Veni Sponsa.

℣. Specie tua.

Die XXIII. Januarii.

Desponsationis B.V.M.

Duplex majus.

Omnia ut in Breviario Romano inter officia nova.

In Laud. Comm. utriusque Octavæ, & S. Emerent. V. & M.

Die XXV. Januarii.

In Festo Conversionis S. Pauli *Ap.*

Pro commemoratione Sancti Projecti Episc. Arvernens. M.

In Vesp. Antiph. Iste Sanctus.

℣. Gloria & honore.

In Laudibus. Antiph. Qui odit.

℣. Justus ut palma.

Oratio.

Martyris tui, atque Pontificis Projecti nos quæsumus Domine interventio gloriosa commendet: ut quod nostris actibus non meremur, ejus precibus consequamur. Per Dominum nostrum Jesum Christum.

Die XXVII. Januarii.

Octava SS. Fabiani, & Sebastiani MM.

Duplex.

Omnia de Communi plur. Mart.

In Primo Nocturno.

Lectiones de scriptura occurrente.

In Secundo Nocturno.

Lect. Nemo est, qui nesciat. *de eod. Communi secundo loco.*

In Tertio Nocturno.

Homilia Sancti Ambrosii Episc. in Evangel. Descendens Jesus de monte. *de Communi plur. MM.*

In II. Vesperis à Capitulo de Octava S. Agnetis V. & M. cum commem. præcedentis.

Die XXVIII. Januarii. Octava S. Agnetis Virg. & Mart.

Duplex.

Omnia ut in festo, præter sequentia.

℣. Specie tua.

Ad Magnificat Antiph.

Stans à dextris ejus Agnus nive candidior, Christus sibi sponsam & martyrem consecravit.

Oratio.

Deus, qui nos annua beatæ Agnetis Virginis & Martyris tuæ solemnitate lætificas: da, quæsumus; ut, quam veneramur officio, etiam piæ conversationis sequamur exemplo. Per Dominum.

commem. præced.

In Primo Nocturno.

Lectiones de scriptura occurrente.

In Secundo Nocturno.

Lectio IV.

Beata Agnes, parentibus ad ejus sepulchrum assidue vigilantibus, quadam nocte choro Virginum comitata cum apparuisset, sic ad eos locuta dicitur: Ne me parentes mortuam lugeatis: nam una cum his virginibus vivo apud illum in Cœlis, quem in terris tota mente dilexi. Cum aliquot post annos Constantia Constantini Im-

Imperatoris filia, insanabili ulceri medicinam quærens, nondum Christiana ad idem sepulchrum accessisset; obdormiscens sibi audire visa est vocem hanc Agnetis: Constanter age Constantia: crede in Jesum Christum Filium Dei, qui te sanam faciet. Quæ sanata, paulo post una cum multis ex familia Imperatoris baptismum suscipiens, ibi Ecclesiam nomine beatæ Agnetis ædificavit.

℟. Induit me Dominus vestimento Salutis, & indumento lætitiæ circumdedit me: * Et tanquam sponsam decoravit me corona. ℣. Tradidit auribus meis inæstimabiles margaritas, circumdedit me vernantibus atque coruscantibus gemmis. * Et tanquam.

Lectio V.

Sermo Sancti Maximi Episcopi.

in Natali S. Agnetis.

Cum in toto mundo virgineus flos Mariæ immarcescibiles coronas innectat, & sceptrigeram pudoris aulam immaculato conservet affectu, eousque integritas perseveravit ad palmam, ut in puellis trophæum sanctitatis arriperet, & per vestigia matris virginis ad cœlestem thalamum perveniret. O quam imitabile virginibus virgo Agnes! Tu amoris tradidisti exemplum! O quam sanctum pectoribus dandum virgineis tribuisti responsum! contemnendo mundi divitias, execrando carnis concupiscentias, & solam Christi pulchritudinem adamando. Accedite ad puellam puellæ, & discite, quales in pectore suo circa amorem Christi flammas accendit. Discite virgines Christi amorem in ea ferventem, & omnes mundi divitias velut stercora recusantem. ℟.

℟. Mel, & lac ex ejus ore ſuſcepi: * Et ſanguis ejus ornavit genas meas. ℣. Oſtendit mihi theſauros incomparabiles, quos mihi ſe daturum repromiſit. * Et ſanguis.

Lectio VI.

Ideo enim ſanctorum per litteras traduntur exempla, ut unusquisque pro qualitate ſexus, modum ſui propoſiti teneat, & ſicut per virginem virgines, ita per conjugem conjuges vincere ſæculum pro Chriſti amore ſtudeant, ac repugnatione animi, mundi dulcia recuſantes, & ejus non recuſantes auſtera, ad delectationes perpetuas, & ad gaudia æterna pertingant. Hæc dicentes, non vituperamus conjugum caſta commercia, ſed virginum perſeverantiam adornamus. Non enim virginitas malis rebus ſuperponenda eſt, ſed eſt rebus optimis præferenda; quæ enim mundis mundior, & ſanctis eſt ſanctior, non indiget malarum rerum vituperatione laudari.

℟. Jam corpus ejus corpori meo ſociatum eſt, & ſanguis ejus ornavit genas meas: * Cujus mater virgo eſt, cujus pater fœminam neſcit. ℣. Ipſi ſum deſponſata, cui Angeli ſerviunt, cujus pulchritudinem ſol, & luna mirantur. * Cujus mater. Gloria Patri. * Cujus mater.

In Tertio Nocturno.

Lectio Sancti Evangelii ſecundum Matthæum.

Lectio VII. *Cap.* 13.

In illo tempore: Dixit Jeſus diſcipulis ſuis parabolam hanc: ſimile eſt regnum cœlorum theſauro abſcondito in agro. Et reliqua.

Homilia Sancti Gregorii Papæ.

Homil. 11. *in Evang.*

Cœlo-

Cœlorum regnum, fratres chariſſimi, idcirco terrenis rebus ſimile dicitur, ut ex his quæ animus novit, ſurgat ad incognita, quæ non novit; quatenus exemplo viſibilium ſe ad inviſibilia rapiat, & per ea, quæ uſu didicit, quaſi confricatus incaleſcat: ut per hoc, quod ſcit notum diligere, diſcat & incognita amare. Ecce enim cœlorum regnum theſauro abſcondito in agro comparatur: quem, qui invenit homo, abſcondit, & præ gaudio illius vadit, & vendit univerſa, quæ habet, & emit agrum illum.

℟. Ipſi ſum deſponſata, cui Angeli ſerviunt, cujus pulchritudinem ſol & luna mirantur: * Ipſi ſoli ſervo fidem, ipſi me tota devotione committo. ℣. Dexteram meam, & collum meum cinxit lapidibus pretioſis: tradidit auribus meis inæſtimabiles margaritas; * Ipſi ſoli.

Lectio VIII.

Qua in re hoc quoque notandum eſt, quod inventus theſaurus abſconditur, ut ſervetur: quia ſtudium cœleſtis deſiderii a malignis ſpiritibus cuſtodire non ſufficit, qui hoc ab humanis laudibus non abſcondit. In præſenti etenim vita, quaſi in via ſumus, qua ad patriam pergimus. Maligni autem ſpiritus iter noſtrum quaſi quidam latrunculi obſident. Deprædari ergo deſiderat, qui theſaurum publice portat in via. Hoc autem dico, non, ut proximi opera noſtra bona non videant, cum ſcriptum ſit: *Videant opera veſtra bona, & glorificent Patrem veſtrum, qui in cœlis eſt:* ſed ut per hoc, quod agimus, laudes exterius non quæramus.

Sic

Sic autem sit opus in publico, quatenus intentio maneat in occulto: ut & de bono opere proximis præbeamus exemplum, & tamen per intentionem, qua Deo soli placere quærimus, semper optemus secretum.

℟. Omnipotens, adorande, colende, & tremende, benedico te: * Quia per Filium tuum unigenitum evasi minas hominum impiorum, & spurcitias diaboli impolluto calle transivi. ℣. Te confiteor labiis, te corde, te totis visceribus concupisco. Quia per Filium.

Gloria Patri. * Quia per Filium.

Lectio IX.

Thesaurus autem cœleste est desiderium: ager vero, in quo thesaurus absconditur, disciplina studii cœlestis. Quem profecto agrum venditis omnibus comparat, qui voluptatibus carnis renuntians, cuncta sua terrena desideria per disciplinæ cœlestis custodiam calcat: ut nihil jam, quod caro blanditur, libeat: nihil, quod carnalem vitam trucidat, spiritus perhorrescat.

Te Deum laudamus.

Vesperæ de sequenti; commemoratio octavæ S. Agnetis.

Die XXIX. Januarii.

S. Othiliæ Virginis,

Duplex majus.

Omnia de communi Virginum, præter ea, quæ hic sequuntur.

Oratio.

Deus illuminator omnium gentium: qui mira opera virtutis tuæ in beata Othilia virgine mirabiliter demonstrasti; quæsumus: immensam Clementiam tuam: ut, sicut ab ea nativæ cæcitatis tenebras effugasti; ita nobis corporalis luminis gratiam, ac

ac æternæ claritatis gloriam largiaris. Per Dominum.

In Primo Nocturno.

Lectiones. De Virginibus præceptum. *de communi Virginum.*

In Secundo Nocturno.

Lectio IV.

Othilia, Adalrici Etichonis Alsatiæ Ducis filia, cum cæca in mundum edita esset; tanta molestia parentem affecit, ut eam exponi, ac interfici mandaret; sed matris pietate servata, ab Erhardo Ratisbonensi Episcopo baptizatur: simulque per inunctionem Chrismatis visu a Deo donata, vitam a teneris monasticam religiose amplexa est.

℟. Propter veritatem, & mansuetudinem, & justitiam: * Et deducet te mirabiliter dextera tua. ℣. Specie tua, & pulchritudine tua intende, prospere procede, & regna. * Et deducet.

Lectio V.

Tanta autem integritate, & sanctitate sua, durum etiam patrem inflexit, ut monasterium Hœnburgense (Hohenbergense) magnifice suis sumtibus extructum, filiæ traderet. In quo centum illa & triginta fœminis præposita diu noctuque Dei servitio tam fideliter incumbebat, ut omnibus perfectæ virtutis, & sanctitatis exemplar esset. Tandem multis miraculis clara, in pace quievit, Childerico Francis imperante.

℟. Dilexisti justitiam, & odisti iniquitatem: * Propterea unxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ. ℣. Propter veritatem, & mansuetudinem, & justitiam. * Propterea unxit.

Lectio VI.

Sermo Sancti Ambrosii Episcopi. *Lib.*

Lib. 1. *de Virg. circa init.*

Quoniam hodie natalis est Virginis, invitat nunc integritatis amor, ut aliquid de virginitate dicamus: ne veluti transitu quodam præstricta videatur, quæ principalis est virtus. Non enim ideo laudabilis virginitas, quia in martyribus reperitur: sed quia ipsa martyres faciat. Quis autem humano eam possit ingenio comprehendere, quam nec natura suis incluſit legibus? aut quis naturali voce complecti, quod supra usum naturæ sit? E cœlo accersivit, quod imitaretur in terris. Nec immerito vivendi sibi usum quæsivit e cœlo, quæ sponsum sibi invenit in cœlo.

℟. Afferentur Regi virgines post eam, proximæ ejus * Afferentur tibi in lætitia & exultatione. ℣. Specie tua, & pulchritudine tua intende, prospere procede, & regna. * Afferentur tibi.

Gloria Patri. * Afferentur tibi.

In Tertio Nocturno.

Lectio S. Evangelii secundum Matthæum.

Lectio VII. *Cap.* 13.

In illo tempore: Dixit Jesus discipulis suis parabolam hanc: Simile est regnum cœlorum thesauro abscondito in agro. Et reliqua.

Homilia S. Gregorii Papæ.

Homilia 11. *in Evangel.*

Cœlorum regnum, fratres charissimi, id circo terrenis rebus simile dicitur, ut ex his, quæ animus novit, surgat ad incognita, quæ non novit: quatenus exemplo visibilium, se ad invisibilia rapiat, & per ea, quæ usu didicit, quasi confricatus incalescat: ut per hoc, quod scit notum diligere, discat & inco-

incognita amare. Ecce enim cœlorum regnum thesauro abscondito in agro comparatur: quem qui invenit homo, abscondit, & præ gaudio illius vadit, & vendit universa, quæ habet, & emit agrum illum.

℟. Hæc est virgo sapiens, quam Dominus vigilantem invenit, quæ acceptis lampadibus sumpsit secum oleum: * Et veniente Domino introivit cum eo ad Nuptias. ℣. Media nocte clamor factus est; Ecce Sponsus venit, exite obviam ei. * Et veniente Domino.

Lectio VIII.

Qua in re hoc quoque notandum est, quod inventus thesaurus absconditur, ut servetur: quia studium cœlestis desiderii a malignis spiritibus custodire non sufficit, qui hoc ab humanis laudibus non abscondit. In præsenti etenim vita, quasi in via sumus, qua ad patriam pergimus. Maligni autem spiritus iter nostrum quasi quidam latrunculi obsident. Deprædari ergo desiderat, qui thesaurum publice portat in via. Hoc autem dico, non ut proximi opera nostra bona non videant, cum scriptum sit: *videant opera vestra bona, & glorificent Patrem vestrum, qui in cœlis est:* sed ut per hoc, quod agimus, laudes exterius non quæramus. Sic autem sit opus in publico, quatenus intentio maneat in occulto: ut & de bono opere proximis præbeamus exemplum, & tamen per intentionem, qua Deo soli placere quærimus, semper optemus secretum.

℟. Media nocte clamor factus est: * Ecce Sponsus venit, exite obviam ei. ℣. Prudentes

virgines aptate vestras lampades. * Ecce Sponsus.

Gloria Patri. * Ecce Sponsus.

Lectio IX.

Thesaurus autem cœleste est desiderium: ager vero, in quo thesaurus absconditur, disciplina studii cœlestis. Quem profecto agrum venditis omnibus comparat, qui voluptatibus carnis renuntians, cuncta sua terrena desideria per disciplinæ cœlestis custodiam calcat: ut nihil jam, quod caro blanditur, libeat, nihil, quod carnalem vitam trucidat, spiritus perhorrescat.

Te Deum laudamus.

FESTA FEBRUARII.

Feria V. post Sexagesimam, Inventionis SS. Pueri JESU.

Duplex majus.

Ad I. Vesperas Antiphona.

Ibant parentes Jesu *cum reliquis de Laudibus.*

Psalmus: Dixit Dominus. *cum reliquis, ut in officio parvo B. M. V.*

Capitulum. Sapient. 1.

In simplicitate cordis quærite Dominum, quoniam invenitur ab his, qui non tentant illum; apparet autem eis, qui fidem habent in illum.

Hymnus.

Quis cernat absque lacrymis
Almam parentem, perdita
Ut prole lugens, & fora
Sionis, & lustrat vicos?
Par nempe amori mœror est;
Ambo medelam respuunt,

Dum

Dum luce Natum tertia
In æde Patris invenit.

Hic inter doctos assidet,
Et cum doceri flagitat,
Legis recludit abdita,
Senesque puer instruit.

Immensa quæ tunc gaudia
Sensere matris pectora,
O Virgo, flos o Virginum!
Gratantes audi servulos.

Fac, Jesus ut sit unicus
Thesaurus nostris cordibus,
Hunc quærere sit studium,
Hunc possidere præmium.

Jesu, tibi sit gloria,
Qui natus es de Virgine,
Cum Patre & almo Spiritu
In sempiterna sæcula. Amen.

℣. Quantas ostendisti mihi tribulationes multas & malas. ℟. Et conversus consolatus es me.

Ad Magnificat Antiph.

Dixit mater Jesu ad eum: Fili, quid fecisti nobis sic? Ecce pater tuus, & ego, dolentes quærebamus te.

Oratio.

Consolare, quæsumus, Domine fideles tuos Te in simplicitate cordis quærentes, qui per beatam Mariam Virginem Matrem tuam Te quærentem in templo es inventus, & ei post temporalem tristitiam æterna gaudia contulisti. Qui vivis.

In fine hymnorum ejusdem metri dicitur: Jesu, tibi sit gloria.

AD MATUTINUM.

Invitatorium.

Jesum a Maria & Joseph in templo inventum, * Venite, adoremus.

Psalmus, Venite, exultemus.

Hymnus. Quem terra,

ra, pontus, sidera. *Ex officio parvo B. M. V.*

In Primo Nocturno.

I. Antiph. Anima mea desideravit te in nocte, sed & de mane vigilabo ad te.

Psalmus: Domine Dominus noster. *cum reliquis ex Officio parvo B. M. V.*

II. Antiph. Ego dilecto meo, & dilectus meus mihi, qui pascitur inter lilia.

Psalm. Cœli enarrant.

III. Antiph. Totus desiderabilis, talis est dilectus meus; & ipse est amicus meus.

Psalm. Domini est terra.

℣. Defecit caro mea, & cor meum. ℟. Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternum.

De Canticis Canticorum.
Cap. 2. *&* 3.

Lectio I.

Revertere, similis esto dilecte mi, capreæ, hinnuloque cervorum super montes Bether. In lectulo meo per noctes quæsivi, quem diligit anima mea: quæsivi illum, & non inveni. Surgam, & circuibo civitatem: per vicos & plateas quæram, quem diligit anima mea; quæsivi illum, & non inveni.

℟. Quæsivi, quem diligit anima mea, * Quæsivi illum, & non inveni; vocavi, & non respondit mihi. ℣. Idcirco ego plorans, & oculus meus deducens aquas, quia longe factus est a me. * Quæsivi illum.

Lectio II.

Invenerunt me vigiles, qui custodiunt civitatem: Num, quem diligit anima mea, vidistis? Paululum, cum pertransissem eos, inveni, quem diligit anima mea; tenui eum, nec dimittam, donec intro-

introducam illum in domum matris meæ, & in cubiculum genitricis meæ.

℟. Indica mihi, quem diligit anima mea, ubi pascas, ubi cubes? * Trahe me, post te curremus in odorem unguentorum tuorum. ℣. Inclina Fili aurem tuam, & audi; aperi oculos tuos, & vide tribulationem meam. * Trahe me.

Lectio III. *Cap.* 8.

Quis mihi det te fratrem meum sugentem ubera matris meæ, ut inveniam te foris, & deosculer te, & jam me nemo despiciat? Apprehendam te, & ducam in domum matris meæ: ibi me docebis; & dabo tibi poculum ex vino condito, & mustum malorum granatorum meorum.

℟. Quis mihi det, ut inveniam te, & deosculer te? * Apprehendam te, & ducam te in domum matris meæ, ibi me docebis. ℣. Quid mihi est in cœlo, & a te quid volui super terram? * Apprehendam te.

Gloria Patri. * Apprehendam te.

In Secundo Nocturno.

I. Antiph. Pars mea Dominus, dixit anima mea: bonus est animæ quærenti illum.

Psalm. Eructavit cor meum.

II. Antiph. Ostende mihi faciem tuam, sonet vox tua in auribus meis; vox enim tua dulcis, & facies tua decora.

Psalm. Deus noster refugium.

III. Antiph. Favus distillans labia tua: mel & lac sub lingua tua.

Psalm. Fundamenta ejus.

℣. Tibi dixit cor meum: exquisivit te facies mea. ℟. Faciem

ciem tuam Domine requiram.

Lectio IV.

Ex antiquo Breviario Missenſi.

Deſiderabile nempe eſt piis mentibus, & ſummæ devotionis materiam ſubminiſtrat, ipſius Virginis dulciſſimæ inconſolabilem triſtitiam ex Filii ſui amiſſione, & ineffabilem lætitiam, de ejusdem inventione devotius pertractare; cum magnitudo hujusmodi triſtitiæ & lætitiæ de immenſitate amoris proceſſiſſe dignoſcatur pectoris virginalis. Quis enim excogitare poterit, quanta mœſtitia pectus illud jucundiſſimum occupabat, cum unicum Filium ſuum dilectiſſimum, intra triduum lacrymoſum, ſibi non comparentem tam anxie quærere coarctaretur? Et quam inæſtimabilis gaudii ſuavitas, ipſius cor conſolando penetravit, dum perditum reperiens, quæſito conjuncta Puerulo, hilarius ad propria remeavit?

℟. Adjuro vos filiæ Jeruſalem, ſi inveneritis dilectum meum, * Nuntiate ei, quia amore langueo. ℣. Dilectus meus candidus & rubicundus, electus ex millibus. * Nuntiate ei.

Lectio V.

Intueamur devotiſſimi nunc Mariam quærentem & dolentem: videamus quoque eandem quæſitum Filium invenientem, & de invento gaudentem. Inter homines enim jam annis duodecim converſatus JESUS, cum aſcendiſſet ad diem feſtum cum parentibus in Jeruſalem; ipſis recedentibus ibi remanſit, quem mater dulcis in virorum comitatu exiſtimans

mans, cum ad propria rediret cum Joseph, minime fore cognovit; sicque, quem ardentissime præsentem habere cupiebat, sensit mater tristissima amissum, & absentem. Conversa tunc sunt in luctum gaudia, & deliciæ in magnitudinem dolorum; ut non sit vox, quæ valeat exprimere dolores ejus. Circuit igitur Vespere primæ diei amissionis, quærens diligenter per domos plurimas, & Puero non comparente nesciebat, quo iret: tunc in angustia constituebatur, magis quam unquam fuit in mundo.

℟. Quo abiit dilectus tuus o pulcherrima mulierum? * Quo declinavit dilectus tuus? Et quæremus eum tecum. ℣. Heu me, Fili mi, lumen oculorum nostrorum, solatium vitæ nostræ! Omnia simul in te uno habentes, te non debuimus dimittere a nobis. * Quo declinavit.

Lectio VI.

In lectulo denique contemplationis suæ, in quo dulciter quiescere consuevit cor suum, quæsivit ardenti desiderio per noctes, quem diligit anima ejus; surgensque amoris gressibus, & affectionum pedibus circuibat civitatem, quærens, nec inveniens animæ suæ languentis medelam. Mane vero facto diei sequentis, quærebat eum inter cognatos & notos, eos præ tristitia alloquendo: Num, quem diligit anima mea, vidistis? Sed nec ibi inveniens, plus quam anxia esse cœpit, & se ad requirendum tota avidior convertit, inquirendi geminans officium. Quo abiit, inquit, dilectus meus? Quæ-

Quæsivi, & non inveni illum; vocavi, & non respondit mihi. Ubi quæram eum? Ubi inveniam diu quæsitum? O dolores, & angustiæ intolerabiles! Nescio, ubi requiram dilectissimum Filium meum speciosum præ filiis hominum, amabilem valde.

℟. Inveni, quem diligit anima mea: * Tenui eum, nec dimittam. ℣. Exaltabunt eum in Ecclesia plebis, & in cathedra seniorum laudabunt eum. * Tenui eum.

Gloria Patri. * Tenui eum.

In Tertio Nocturno.

I. Antiph. Lætamini in Domino Deo vestro, quia dedit vobis doctorem justitiæ.

Psalm. Cantate Domino.

II. Antiph. O Rex gentium inter cunctos sapientes, & in universis regnis nullus est similis tui.

Psalm. Dominus regnavit.

III. Antiph. Quæretis me, & invenietis: cum quæsieritis me in toto corde vestro.

Psalm. Cantate Domino — quia mirabilia.

℣. Secundum multitudinem dolorum. ℟. Consolationes tuæ lætificaverunt animam meam.

Lectio sancti Evangelii secundum Lucam.

Lectio VII. Cap. 2.

Cum factus esset Jesus annorum duodecim, ascendentibus illis Jerosolimam secundum consuetudinem diei festi, consummatisque diebus cum redirent, remansit puer Jesus in Jerusalem. Et reliqua.

Homilia sancti Ambrosii Episcopi.

Lib. 2. in c. 2. Lucæ in fine.

A duodecimo anno, ut legi-

legimus, Dominicæ sumitur disputationis exordium. Hic enim prædicandæ fidei evangelizantium numerus debebatur. Nec otiose immemor suorum secundum carnem parentum, qui secundum carnem utique sapientia Dei implebatur & gratia, post triduum reperitur in templo: ut esset indicio, quia post triduum triumphalis illius passionis, in sede cœlesti, & honore divino, fidei nostræ se suscitatus offerret, qui mortuus credebatur.

℟. Remansit puer Jesus in Jerusalem, & non cognoverunt parentes ejus; & post triduum * Invenerunt illum in templo sedentem in medio doctorum, audientem illos, & interrogantem eos. ℣. In medio populi sui gloriabitur, & in Ecclesiis Altissimi aperiet os suum. * Invenerunt illum.

Lectio VIII.

Quid est, quod me quærebatis? Duæ sunt in Christo generationes: una est paterna, materna altera. Paterna illa divinior; materna vero, quæ in nostrum laborem, usumque descendit. Et ideo, quæ supra naturam, supra ætatem, supra consuetudinem fiunt, non humanis assignanda virtutibus, sed divinis referenda sunt potestatibus. Alibi eum ad ministerium mater impellit; hic mater arguitur, quia adhuc, quæ humana sunt, exigat. Sed cum hic duodecim describatur annorum, illic discipulos habere dicatur; vides matrem didicisse a Filio, ne exigeret a validiore ministerium, quæ stupebat in juniore miraculum.

℟. Quid est, quod me

me quærebatis? * Nesciebatis, quia in his, quæ Patris mei sunt, oportet me esse? ℣. Anima mea liquefacta est, ut dilectus locutus est. * Nesciebatis.

Gloria Patri. * Nesciebatis, quia.

Lectio IX.

Et venit Nazareth, & erat subditus illis. Quid enim magister virtutis, nisi officium pietatis impleret? Et miramur, si patri defert, qui subditur matri? Non utique infirmitatis, sed pietatis ista subjectio est: attollat licet sævis emissus latebris coluber perfidiæ caput, & serpentinis evomat venena pectoribus. Cum dicit se Filius missum, majorem hæreticus appellat Patrem, ut imperfectum Filium dicat, qui potest habere majorem: ut alienis auxiliis asserat eum, qui mittitur, indigere. Numquid & humano egebat auxilio, ut materno serviret imperio?

Te Deum laudamus.

Ad Laudes, & per Horas.

I. Antiph. Ibant parentes Jesu per omnes annos in Jerusalem, in die solemni Paschæ.

Psalmus: Dominus regnavit. *cum reliquis de Dominica.*

II. Antiph. Ascendentibus illis, remansit puer Jesus in Jerusalem; & non cognoverunt parentes ejus.

III. Antiph. Existimantes illum esse in comitatu, venerunt iter diei; & requirebant eum inter cognatos, & notos.

IV. Antiph. Non invenientes, regressi sunt in Jerusalem; & invenerunt illum in templo sedentem in medio doctorum.

V. An-

V. Antiph. Stupebant omnes, qui eum audiebant, super prudentia & responsis ejus.

Capitulum. *Prov.* 8.

Ego diligentes me diligo; & qui mane vigilant ad me, invenient me.

Hymnus.

O gloriosa Virginum,
Sublimis inter sidera;
Qui te creavit, parvulum
Lactante nutris ubere.

Quod Heva tristis abstulit,
Tu reddis almo germine:
Intrent ut astra flebiles,
Cœli recludis cardines.

Tu Regis alti janua,
Et aula lucis fulgida:
Vitam datam per Virginem
Gentes redemptæ plaudite.

Jesu, tibi sit gloria,
Qui natus es de Virgine,
Cum Patre, & almo Spiritu,
In sempiterna sæcula.
Amen.

℣. Quærite Dominum & virtutem ejus. ℟. Quærite faciem ejus semper.

Ad Benedictus Antiph.

Quid est, quod me quærebatis? Nesciebatis quia in his, quæ Patris mei sunt, oportet me esse?

Oratio.

Tuæ, quæsumus Domine, propitiationis respectum ad fideles tuos benignus converte: &, qui beatæ Mariæ Virgini Matri tuæ per triduum quæsitus tandem in templo apparuisti, Te quoque nobis ostendere in aula gloriæ tuæ digneris. Qui vivis.

Ad Primam.

Antiph. Ibant parentes.

℟. *breve.* Christe Fili Dei vivi.

℣. Qui natus es de Maria Virgine.

Ad

Ad Tertiam.

Antiph. Ascendentibus illis.

Capitulum. Cantic. 3.

In lectulo meo per noctes quæsivi, quem diligit anima mea; quæsivi illum, & non inveni.

℟. *br.* Specie tua, * Et pulchritudine tua. Specie. ℣. Intende, prospere procede, & regna. * Et pulchritudine.

Gloria Patri. Specie tua.

℣. Adjuvabit eam Deus vultu suo. ℟. Deus in medio ejus non commovebitur.

Oratio. Tuæ quæsumus.

Ad Sextam.

Antiph. Existimantes illum.

Capitulum. Cantic. 3.

Surgam, & circuibo civitatem, per vicos & plateas, quæram, quem diligit anima mea.

℟. *br.* Adjuvabit eam, * Deus vultu suo. Adjuvabit. ℣. Deus in medio ejus, non commovebitur. * Deus vultu.

Gloria Patri. Adjuvabit.

℣. Elegit eam Deus, & prælegit eam. ℟. In tabernaculo suo habitare facit eam.

Ad Nonam.

Antiph. Stupebant omnes.

Capitulum. Cant. 3.

Tenebo te; nec dimittam, donec introducam te in domum matris meæ, & in cubiculum genitricis meæ.

℟. *br.* Elegit eam Deus, * Et prælegit eam. Elegit. ℣. In tabernaculo suo habitare facit eam. * Et prælegit.

Gloria Patri. Elegit eam.

℣. Dif-

℣. Diffusa est gratia in labiis tuis. ℟. Propterea benedixit te Deus in æternum.

IN II. VESPERIS.

Antiph. Ibant parentes. *cum reliquis de Laudibus. Psalmi de B. M. V. Capitulum, & Hymnus ut in I. Vesperis.*

℣. Diffusa est gratia in labiis tuis. ℟. Propterea benedixit te Deus in æternum.

Ad Magnificat Antiph.

Descendit Jesus cum eis, & venit Nazareth: & erat subditus illis.

Oratio. Consolare quæsumus.

Feria III. post Quinquagesimam.

Commemoratio S. Bennonis *Episc. Conf. Semiduplex.*

Omnia de communi Conf. Pont. In hymno mutat. 3. Versus.

Oratio.

Deus, qui nos beati Bennonis Pontificis confessione gloriosa circumdas, & protegis: da nobis, & ejus imitatione proficere, & intercessione gaudere. Per Dominum.

Suffragia communia.

In primo Nocturno Lectiones de scriptura occurrente.

In II. Nocturno. Sermo sancti Maximi Episcopi. Beati Patris Bennonis. *Et*

In III. Nocturno, Homilia in Evangelium: Vigilate. *de communi Confess. Pontificis secundo loco.*

In Laudibus suffragia.

Quodsi prædicta feria III. impedita sit officio novem Lectionum, Commemoratio S. Bennonis *celebratur feria II. præcedente. Utraque autem feria impedita, omittitur.*

Die

Die I. Februarii.

In Festo S. Ignatii Episc. M. pro Commemoratione Sanctæ Brigidæ Virginis.

Ad Vesp. Antiphona. Veni Sponsa Christi.

℣. Specie tua.

Oratio.

Exaudi nos Deus salutaris noster: ut, sicut de beatæ Brigidæ Virginis tuæ festivitate gaudemus; ita piæ devotionis erudiamur affectu. Per Dominum.

Lectio IX.

Brigida, in Scotia Christianis parentibus orta, & interdum Angelicis visionibus stipata, igneam columnam in capite tenere infans conspecta est. Jejuniis, vigiliis, orationibus, & eleemosynis, aliisque bonis operibus, atque mira sanctitate morum a teneris enituit. Petita in matrimonium, quod pereleganti forma esset, a Christo, quem sibi Sponsum delegerat, alterius oculi deformitatem, precibus, ad id declinandum, impetravit. Sacro velamine postmodum suscepto, sanitati restituta est. Virginitatis ejus gratiam & integritatem Deus miraculo testatam voluit; tactu Virginis, ligneum altaris pedem, præter naturæ ordinem, revirescere concedens. Vitæ sanctitate, & miraculorum fama plurimorum illustris, Calendis Februarii quievit in Domino, Anno Salvatoris quingentesimo primo, ætatis vero suæ Octogesimo secundo.

Te Deum Laudamus.

In Laudibus pro Commemoratione S. Brigidæ V. Antiph. Simile est regnum Cœlorum.

℣. Diffusa est gratia.

Die III. Februarii.

Sancti Blasii Episc. & Mart. Duplex.

Offici-

Officium, & Oratio: Deus, qui nos B. Blasii. *de communi unius Martyris.*

Pro commemoratione Sancti Wendelini Confessoris.

Ad Vesperas Antiph. Similabo eum viro.

℣. Amavit eum.

Oratio.

Ecclesiam tuam, quæsumus Domine, beati Wendelini Confessoris tui solemnitas votiva lætificet: ut spiritualibus semper muniatur auxiliis, & gaudiis perfruatur æternis. Per Dominum.

In Primo Nocturno.

Lectiones de scriptura occurrente.

In Secundo Nocturno.

Lectio IV.

Blasius Sebaste in Armenia, a puero virtuti deditus, juvenilem ætatem egit, a singulari modestia, Deique timore commendatam, mira raræ virtutis amabilitate, mire Sebastenam sibi civitatem demeruit, ut mox civitatis ejusdem Episcopus eligeretur. Inde divino ductus instinctu in montis Argæi specum secessit, ad quem omnis generis feræ agminatim confluebant, & non nisi percepta a viro sancto benedictione recedebant.

℟. Honestum fecit illum Dominus, & custodivit eum ab inimicis, & a seductoribus tutavit illum: * Et dedit illi claritatem æternam. ℣. Descenditque cum illo in foveam, & in vinculis non dereliquit eum. * Et dedit illi.

Lectio V.

Interea durante insatiabili persecutione, quam in Christianos Diocletianus exercebat, missus Sebasten Prætor Agricolaus, qui optimum

mum factu ratus, omnes, quos Christianos vinculis attineret, feris dilaniandos objicere. Hanc igitur ob causam venatum suos dimisit, qui denique ad avios montis Argæi saltus delati, Virum sanctum precibus intentum deprehenderunt, & Præsidis jussu in vincula conjecerunt.

℟. Desiderium animæ ejus tribuisti ei Domine: * Et voluntate labiorum ejus non fraudasti eum. ℣. Quoniam prævenisti eum in benedictionibus dulcedinis, posuisti in capite ejus coronam de lapide pretioso. * Et voluntate.

Lectio VI.

Quo in loco multos ægrotos sanavit, qui ad Blasium ejus fama sanctitatis adducti deferebantur. In illis puer fuit, qui desperata a Medicis salute, transversa spina faucibus inhærente animam agebat. Productus autem ad Præsidem Blasius, semel & iterum, cum nec blanditiis, nec minis adduci posset, ut diis sacrificaret, primum virgis cæsus, deinde in equuleo ferreis pectinibus dilaniatus est; postremo dempto capite illustre fidei testimonium Christo Domino dedit, tertio nonas Februarii.

℟. Stola jucunditatis induit eum Dominus: * Et coronam pulchritudinis posuit super caput ejus. ℣. Cibavit illum Dominus pane vitæ & intellectus, & aqua sapientiæ salutaris potavit illum. * Et coronam.

Gloria Patri. * Et coronam.

In Tertio Nocturno.

Homilia in Evangelium: Si quis vult post me venire.

De

De Communi unius Martyris.

In Laudibus commemoratio S. Wendelini Conf.

Die VI. Februarii.

S. Dorotheæ Virginis & Martyris.

Dupl. II. Classis cum Octava.

Omnia de Communi Virginum, præter sequentia.

Oratio.

Omnipotens sempiterne Deus, in cujus nomine gloriosa Virgo & Martyr Dorothea multorum tormentorum genera superavit: te supplices exoramus; ut ejus meritis, & precibus cuncta pericula corporis & animæ evitemus, ipsamque celerem adjutricem in nostris necessitatibus adesse sentiamus. Per Dominum.

Comm. præc. Antiph. Stans beata Agatha.

In Primo Nocturno.

Lectiones: De Virginibus præceptum Domini non habeo. *De Communi Virginum.*

In Secundo Nocturno.

Lectio IV.

Imperatoribus Constantino, Chloro, & Diocletiano Maximiano, cum cœpta in Christianos exerceri Tyrannis, nihil etiamdum remisisset, fuit Cæsareæ Cappadociæ nobili genere nata gloriosa Virgo & Martyr Dorothea. Non erat ullum laudatæ Virginis cujusquam decus, quod non in hac Virguncula singulariter emineret. Totam dum singularis ejus virtus advertebat urbem, audivit Apricius Præses Dorotheam esse Christianam; eam capi, sibique jussit e vestigio sisti.

℟. Propter veritatem, & mansuetudinem, & justitiam: * Et deducet te mirabiliter dextera tua. ℣.

Specie tua, & pulchritudine tua intende, prospere procede, & regna. * Et deducet te.

Lectio V.

Apricius, cum Dorotheam in suam sententiam perducere non posset, tempus redemturus, geminas advocat sorores, Chrystetam & Callistam; quibus a Christiana religione apostatis Dorotheam commendavit, ut eam a proposito dimoverent. Verum, sancta Virgo nihil eorum emollita blanditiis, nihil territa minis, adeo rationibus prudenter occurrit, ut insidiantes alienæ saluti sirenes, sui pœnitudine peccati ductas, in Christi sponsas reverterit; & ad repetendam deserti Martyrii palmam redaccenderit. Quod magna animi constantia, sancta Virgine adhortante, consummarunt.

℟. Dilexisti justitiam, & odisti iniquitatem: * Propterea unxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ. ℣. Propter veritatem, & mansuetudinem, & justitiam. * Propterea unxit.

Lectio VI.

Quamobrem iratus præses, suis sanctam virginem nudari vestibus, & in equuleo suspensam, accensis ejus latera tædis torreri, equuleo vero depositam, quod liberius loqueretur, multis alapis cædi mandavit. Sed enim Dorothea, quanto cruciabatur atrocius, tanto majorem vultu lætitiam præferebat, suisque etiam tortoribus insultabat. Denique, cum jam invicta sanctæ Virginis virtus, & carnifices fatigasset, & Præsidem turbasset: ad extremum capitis damnata, duplicatam virginitatis, & Martyrii palmam accepit.

℟. Af-

℟. Afferentur Regi Virgines post eam, proximæ ejus, * Afferentur tibi in lætitia, & exultatione. ℣. Specie tua, & pulchritudine tua intende, prospere procede, & regna. * Afferentur tibi.

Gloria Patri. * Afferentur tibi.

In Tertio Nocturno.

Homilia in Evangel. Simile est Regnum Cœlorum thesauro abscondito in agro. *ut supra Pag. 32.*

In Quadragesima legitur IX. Lect. de feria.

Die IX. Februarii.

S. Apolloniæ *Virginis, & Martyris.*

Duplex.

Omnia de Communi Virginum, præter Sequentia.

Oratio.

ÆTerne ac mitissime DEUS: qui ad toleranda pro tui Nominis gloria tormenta carnis, Spiritu fortitudinis electos tuos roborare non desistis; concede propitius: ut, qui glorioſæ Virginis ac martyris tuæ Apolloniæ (quam excussis pro tui Nominis confessione dentibus acerbissima morte, ab hoste maligno triumphare fecisti) Martyrium recolimus; meritis ipsius & precibus a dolore dentium, & ab omni languore corporis & animæ protegi, & eripi mereamur. Per Dominum.

Comm. 1. præced. 2. Octavæ.

In Primo Nocturno.

Lectiones de scriptura occurrente. In Quadragesima vero: Confitebor tibi. *De Communi Virginum 2do loco.*

In Secundo Nocturno.

Lectio IV.

APollonia integerrimis moribus Virgo, Paganis

ganis quidem, sed illustrissimis orta Natalibus. Nutrici nobili, occulte tamen Christianæ, ad alendum tradita; quæ non tantum Apolloniam cibo & potu, quantum moribus, & fide alebat Christianam, ut sancta virgo in provectam usque ætatem Christianis juxta ac Paganis eximium omnino singularis modestiæ, omnigenæque virtutis exemplum præluxerit.

℟. Propter veritatem, & mansuetudinem, & justitiam: * Et deducet te mirabiliter dextera tua. ℣. Specie tua, & pulchritudine tua intende, prospere procede, & regna. * Et deducet te.

Lectio V.

Exorta sub Decio Imperatore, gravi in Christianos persecutione; Apollonia variis tentata modis, ad Idola sistitur: ut eis venerationem adhiberet; illis contemptis, Jesum Christum verum Deum, colendum esse prædicabat. Quamobrem cum non posset impietas eam a Christo divellere, omnes ei contusi sunt & evulsi dentes; ac nisi Christum detestata, Deos coleret, accenso rogo, combusturos vivam minati sunt impii carnifices. Quibus illa, quamvis mortem se pro Jesu Christi fide subituram, respondit.

℟. Dilexisti justitiam, & odisti iniquitatem: * Propterea unxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ. ℣. Propter veritatem, & mansuetudinem, & justitiam. * Propterea unxit.

Lectio VI.

Itaque comprehensa ut combureretur, cum paulisper quasi deliberans, quid agendum esset, stetisset; subito amoris divini facibus accensa,

censa, & singulari nutu Numinis instincta, ex illorum manibus elapsa, alacris in ignem sibi paratum (exemplo prorsus admirando, sed non omnibus, nisi quos divinus moverit instinctus, imitando) non sine stupore impietatis, se injecit, unde brevi consumpto corpore, purissimus spiritus in cœlum ad sempiternam Martyrii coronam evolavit. Colitur hæc sancta Virgo, tanquam singularis pro pellendis dentium doloribus Advocata: multosque favores devotis sanctæ Martyris clientibus Dominus concedit.

℟. Afferentur Regi Virgines post eam, proximæ ejus * Afferentur tibi in lætitia, & exultatione. ℣. Specie tua, & pulchritudine tua intende, prospere procede, & regna. * Afferentur tibi.

Gloria Patri. * Afferentur tibi.

In Tertio Nocturno.

Homilia in Evang. Simile erit Regnum Cœlorum decem Virginibus. *ut in Communi Virginum.*

In Quadragesima IX. Lectio feriæ.

In Laudibus comm. Oct. S. Dorotheæ.

Antiph. Veni Sponsa Christi.

℣. Specie tua.

Vesperæ a Capit. de sequenti. commem. ut infra.

Die X. Februarii.

S. Erhardi Episcopi, & Confessoris.

Duplex.

Omnia, ut in Communi Confessoris Pontificis, præter sequentia.

In Hymno mutat. 3. Versus.

Oratio.

Deus, qui hodiernam diem nobis in beati Erhardi Confessoris tui

tui atque Pontificis solemnitate tribuisti: adesto propitius Ecclesiæ tuæ precibus; ut, cujus gloriatur meritis, muniatur & suffragiis. Per Dominum.

Comm. 1. S. Apolloniæ V. & M.

Antiph. Veni Sponsa Christi.

℣. Diffusa est gratia.

2. Commem. Oct. S. Dorotheæ.

Antiph. Simile est regnum.

℣. Specie tua.

In Quadragesima nihil de Octava.

In Primo Nocturno.

Lectiones de scriptura occurrente.

In Quadragesima: Fidelis sermo. *de Communi C. P.*

In Secundo Nocturno.

Lectio IV.

Erhardus in veteri Scotia, seu Hibernia Insula Oceani natus; fratres habuit Albertum, Pontificem Cassellensis Ecclesiæ in eadem Insula; & Hidulphum, Trevirensis in Germania. Corporis integritatem, fastus, fluxarumque opum contemptum, morum innocentiam, & litterarum sacrarum studium unice, quoad vixit, coluit. Suæ gentis clero populoque urgente consecratus est Ardachadensis Episcopus. Verum, desiderio salutandi Apostolorum limina accensus, una cum aliis Romam pervenit. Unde in Germaniam reversus, sanctam Othiliam, Ducis Etichonis filiam ab utero matris cæcam, Christi nomine invocato, illuminavit, & sacro baptismate tinxit.

℟. Inveni David servum meum, oleo sancto meo unxi eum: * Manus enim mea auxiliabitur ei. ℣. Nihil proficiet inimicus in eo, & fili-

& filius iniquitatis non nocebit ei. * Manus enim.

Lectio V.

Qui cum videret se Hidulpho fratri in Episcopatu Trevirensi sufficiendum, aufugit Ratisbonam, & apud Ordinis beati Augustini Religiosarum Fœminarum cellulam hospitio exceptus est, ubi post cœcos illuminatos, paralyticos sanatos, atque alia Divinæ virtutis opera edita, in Domino obdormivit, regnante Pipino Patre Caroli Magni. Quem Erhardum Leo nonus Pontifex Romanus in sanctorum catalogum adscripsit, anno salutis millesimo quinquagesimo secundo. Prope cujus sepulchrum, corpus beati Alberti ejus fratris Hierosolyma reversi, sed paulo post Ratisbonæ vita functi, uti vivens petierat, conditum est.

℟. Posui adjutorium super potentem, & exaltávi electum de plebe mea: * Manus enim mea auxiliabitur ei. ℣. Inveni David servum meum, oleo sancto meo unxi eum. * Manus enim.

Lectio VI.

Ejus sepulchrum multis postea claruit miraculis; quod cum beatus Wolfgangus pro more visitaret, apparens ei quodam tempore sanctus Erhardus, locum & ædem sui sepulchri vitæ dissolutione multum dehonestari a sanctimonialibus, conquestus est; monens illum, ut Canonicæ vitæ institutum, in monasticum commutet, quod & factum est.

℟. Iste est, qui ante Deum magnas virtutes operatus est, & omnis terra doctrina ejus repleta est: * Ipse intercedat pro peccatis omnium

nium populorum. ℣. Iste est, qui contempsit vitam mundi, & pervenit ad cœlestia regna. * Ipse intercedat.

Gloria Patri. * Ipse intercedat.

In Tertio Nocturno.

Homilia in Evangel. Vigilate.

De Communi Confess. Pontificis.

In Quadragesima IX. Lect. feriæ.

In Laudibus comm. S. Dorotheæ.

Vesperæ a Capit. de sequenti, commem. præced. & octavæ.

Die XI. Februarii.

S. Joannis Chrysostomi

Episcopi Confessoris, & Ecclesiæ Doctoris.

Duplex.

In Romano 27. Januar.

Omnia ut in Romano. Mutatur 3. hymni Versus.

Vesperæ a Capit. de sequenti. comm. ut infra.

Die XII. Februarii.

S. Caroli Magni

Imperatoris, & Confessoris.

Duplex.

Alibi 28. Januarii.

Omnia ut in Communi Confessoris non Pontificis, præter sequentia.

In hymno mutat. 3. Versus.

Oratio.

Omnipotens & misericors Deus, qui a gloria tua nullam conditionem excludis, Te suppliciter exoramus: ut sicut beato Carolo Confessori tuo post terreni culmen Imperii cœlestis regni solium contulisti; ita meritis ejus & precibus nobis quoque famulis tuis æternæ felicitatis præmia largiaris. Per Dominum.

Comm. 1. præced. 2. Octavæ.

In Primo Nocturno.

Lectiones de scriptura occurrente. Sed in Quadrage-

dragesima: Beatus vir, qui inventus est sine macula. *de Communi Confessoris non Pontificis secundo loco.*

In Secundo Nocturno.

Lectio IV.

Carolus propter rerum, quas gessit, magnitudinem cognomento magnus, propter ardentissimum autem Religionis Christianæ tuendæ & propagandæ studium in Synodo Moguntina Christianissimus, veræque Religionis & sanctæ Dei Ecclesiæ defensor appellatus, Patre Pipino Francorum Rege, Matre Berthrada Græca Principe in Ingelhemii Castro natus, genus suum ex Francis orientalibus duxit; Petro Diacono, & Alcuino præceptoribus usus, cœlestium rerum, ac Philosophiæ notitiam haud vulgarem assecutus est. Patris autem jussu anno ætatis decimo quinto militiæ se applicavit, in qua Deo manus ejus ad prælia edocente adeo excelluit, ut præclarissimas de Aquitanis, Longobardis, Saxonibus, Hunnis, ac Saracenis in Gallia, Italia, Germania ac Hispania victorias referret, quibus (quod in bellis spectabat unice,) Ecclesiam Dei mirifice protexit ac dilatavit; atque Imperatoris Romani dignitatem a Sede Apostolica, populo acclamante, accepit.

℟. Honestum fecit illum Dominus, & custodivit eum ab inimicis, & a seductoribus tutavit illum: * Et dedit illi claritatem æternam. ℣. Justum deduxit Dominus per vias rectas, & ostendit illi regnum Dei. * Et dedit illi.

Lectio V.

Fortitudini vero bellicæ

cæ pietatem Christianam, ac proximi charitatem raro exemplo ita conjunxit, ut dubium relinqueret, in qua magis excelleret. In ædibus sacris rem divinam obibat assidue, neque statas preces Canonicas seu nocturnas, seu diurnas, cum valuit, facile neglexit. Romam voti caussa quater adiit, Divi quoque Jacobi Apostoli in Gallicia ædem celebrem lustravit: fastos Martyrum, & homilias sanctorum Patrum in Evangelia colligi, & per anni circulum annuente Hadriano Primo summo Pontifice populo proponi curavit. Novem Episcopales sedes in Germania erexit, & munificentissime dotavit; Monasterienſem videlicet, Mindenſem, Halberstadienſem, Osnabrucenſem, Paderbornenſem, Hildesienſem & Verdenſem, Hamburgenſem & Bremenſem. Ea in cultu corporis modestia usus est, ut extra summas solennitates veste a communi & plebeja parum differente incederet, sub qua aliam setis horrentem majore vitæ suæ tempore ad corpus suum edomandum gestavit.

℟. Amavit eum Dominus, & ornavit eum: stolam gloriæ induit eum, * Et ad portas paradisi coronavit eum. ℣. Induit eum Dominus loricam fidei, & ornavit eum. * Et ad portas.

Lectio VI.

Ampliſſima ejus in pauperes Christi charitas limitibus Imperii claudi non potuit; nam egenis etiam christianis in Syria, Africa, & Palæstina suis eleemosynis liberalissime succurrit, ac illarum terrarum Principes muneribus

ribus sæpe submissis demeruit, ut Christianos sub se degentes elementius haberent. Insignem erga victos clementiam constanter præ se tulit: unde & Witikindo Saxoni toties perduelli prostratoque aliam legem non tulit, quam ut ejurata Idolomania Deo, & Christo nomen daret; quod ille tum demum præstitit, cum in sacra Eucharistia Christum Dominum elegantissimi pueri specie Carolo & Proceribus a Sacerdote festo Paschatis porrectum conspexit. Tandem ætate ac meritis plenus, anno æræ Christianæ octingentesimo decimo quarto, vitæ suæ septuagesimo secundo, Imperii decimo quarto, magno omnium dolore e vita mortali decessit; cum prius mojorem facultatum suarum partem Ecclesiis, & pauperibus testamento consignasset. Ejus corpus in Ecclesia majori urbis Aquisgranensis magno populi Christiani concursu colitur.

℟. Iste homo perfecit omnia, quæ locutus est ei Deus, & dixit ad eum: Ingredere in requiem meam: * Quia te vidi justum coram me ex omnibus gentibus. ℣. Iste est, qui contempsit vitam mundi, & pervenit ad cœlestia regna. * Quia te.

Gloria Patri. * Quia te vidi.

In Tertio Nocturno.

Lectio sancti Evangelii secundum Lucam.

Lectio VII. *Cap.* 19.

In illo tempore: Dixit JESUS discipulis suis parabolam hanc: Homo quidam nobilis abiit in regionem longinquam, accipere sibi regnum, & reverti. Et reliqua.

Homi-

Homilia sancti Ambrosii Episcopi.

Lib. 8. in Luc. cap. 19.

Bonus ordo, ut vocaturus gentes, & judæos jussurus interfici, qui noluerunt supra se regnare Christum, hanc præmitteret comparationem, ne diceretur: Nihil dederat populo Judæorum, unde poterat melior fieri? Ut quid ab eo, qui nihil recepit, exigitur? Non mediocris ista est mna, quam supra mulier Evangelica, quia non invenit, lucernam accendit, lumine quærit admoto, gratulatur inventam.

℟. Iste est, qui ante Deum magnas virtutes operatus est, & de omni corde suo laudavit Dominum: * Ipse intercedat pro peccatis omnium populorum. ℣. Ecce homo sine querela, verus Dei cultor, & abstinens se ab omni opere malo, & permanens in innocentia sua. * Ipse intercedat.

Lectio VIII.

Denique ex una decem mnas alius fecit, alius quinque. Fortasse iste moralia habet, quia quinque sunt corporis sensus: ille duplicia, id est, mystica legis, & moralia probitatis. Unde & Matthæus quinque talenta, & duo talenta posuit; in quinque talentis, ut sint moralia; in duobus utrumque, mysticum atque morale. Ita quod numero inferius, re uberius.

℟. Sint lumbi vestri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus vestris: * Et vos similes hominibus expectantibus Dominum suum, quando revertatur a nuptiis. ℣. Vigilate ergo, quia nescitis, qua hora Dominus vester venturus sit. * Et vos simi-

similes. Gloria Patri. * Et vos similes.

Lectio IX.

Et hic possumus decem mnas, decem verba intelligere; id est, Legis doctrinam: quinque autem mnas, magisteria disciplinæ. Sed legis peritum in omnibus volo esse perfectum. Non enim in sermone, sed in virtute est regnum Dei. Bene autem, quia de Judæis dicit, duo soli multiplicatam pecuniam deferunt; non utique æris, sed dispensationis usuris. Alia est enim pecuniæ fœnebris, alia doctrinæ cœlestis usura.

Te Deum laudamus.

In Quadragesima IX. Lect. feriæ.

In Laudibus comm. Oct. S. Dorotheæ.

Vesp. a Capit. de seq. comm. præc.

Die XIII. Februarii.

Octava S. Dorotheæ *Virg. M.*

Duplex.

Omnia ut in Communi Virgin.

Oratio: Omnipotens, *ut in festo.*

In Primo Nocturno.

Lectiones de scriptura occurrente.

In Secundo Nocturno.

Lectiones: Nunc nobis ad Virgines. *ut in eodem Communi VV. secundo loco.*

In Tertio Nocturno.

Homilia in Evangel. Simile est regnum Cœlorum thesauro. *ut supra pag. 32.*

Vesperæ a Capit. de sequenti. Comm. ut infra.

Die XIV. Februarii.

Sancti Francisci Salesii Episc. & Confessoris.

Duplex.

In Romano 29. Januarii.

Omnia ut in Romano, & Communi Confess. Pontificis.

In

In hymno: Iſte Confeſſor, *mutat. 3. Verſus.*

Commem. 1. præced. Antiphona: Veni Sponſa Chriſti. ℣. Diffuſa.

2. Comm. S. Valentini Epiſc. M.

Antiph. Iſte ſanctus.

℣. Gloria & honore.

Oratio.

Concede nobis Domine, per preces ſanctorum tuorum: ut feſta Martyris tui Valentini ſine ceſſatione venerantes, & fidei muniamur auxilio, & magnifico proficiamus exemplo.

3. Commem. S. Valentini Presb. M.

Antiph. Qui odit.

℣. Juſtus ut palma.

Oratio.

Præſta, quæſumus, omnipotens Deus: ut, qui beati Valentini Martyris tui natalitia colimus, a cunctis malis imminentibus, ejus interceſſione liberemur. Per Dominum.

In Laudibus.

comm. 1. S. Valentini Epiſc. M.

Antiph. Qui odit animam ſuam.

℣. Juſtus ut palma.

Orat. Concede.

2. Comm. S. Valentini Presbyt. M.

Antiph. Iſte ſanctus.

℣. Gloria & honore.

Orat. Præſta.

Veſperæ a Capit. de ſequenti cum Comm. ut infra.

Die XV. Februarii.

S. Pauli primi Eremitæ Confeſſ.

Duplex.

In Romano 15. Januarii.

Omnia ut in Romano.

In hymno: Iſte Confeſſor. *mutat. 3. Verſus.*

Commem. 1. præc. Antiph. Amavit eum.

℣. Juſtum deduxit.

2. Comm. SS. Fauſtini & Jovitæ Martyrum.

Antiph. Iſtorum eſt.

℣. Læ-

℣. Lætamini in Domino. *ut in Romano.*

Ad Matutinum IX. Lectio, & in Laudibus com. de iisdem sanctis Martyribus Faustino, & Jovita.

In II. Vesp. comm. sequentis.

Die XVI. Februarii.

Sanctæ Julianæ Virgin. & Mart.

Semiduplex.

Omnia ut in Communi Virgin. præter sequentia.

Oratio.

Omnipotens sempiterne Deus, qui infirma mundi eligis, ut fortia quæque confundas; da nobis in festivitate sanctæ Julianæ Virginis ac Martyris tuæ congrua devotione gaudere: ut & potentiam tuam in ejus passione laudemus, & provisum nobis percipiamus auxilium. Per Dominum.

In Primo Nocturno.

Lectiones de scriptura occurrente. In Quadragesima vero: Confitebor tibi Domine. *De Communi Virginum, secundo loco.*

In Secundo Nocturno.

Lectio IV.

Juliana Virgo Nicomediæ ob Christianæ fidei confessionem, Maximiano Imperatore, non solum ab Africano patre verberibus cæsa, sed etiam ab Eleusio Præfecto, cui nubere recusarat, in fœtidum carcerem detrusa, gravissimis tormentis cruciatur. Cum vero nullo pœnarum genere a Christiana religione posset abduci, flammas, & ollam ferventem, multis interim ad Christum perductis, mira constantia superavit. Ad extremum capite damnata, de diabolo, & fidei hostibus triumphavit.

℟. Propter veritatem, & mansuetudinem, & justitiam: * Et dedu-

deducet te mirabiliter dextera tua. ℣. Specie tua & pulchritudine tua intende, prospere procede, & regna. * Et deducet te.

Sermo Sancti Ambrosii Episcopi.

Lib. I. *de Virgin.*

Lectio V.

Ego licet laudationem non susceperim virginitatis, sed expressionem; ad rem tamen pertinere arbitror, ut, quæ sit ejus patria, quis auctor, appareat. Ac prius, ubi sit patria, definiamus. Si enim ibi est patria, ubi genitale domicilium; in cœlo profecto est patria castitatis; itaque hic advena, ibi incola est. Quid autem est castitas, nisi expers contagionis integritas? Atque ejus auctorem quem possumus existimare, nisi immaculatum Dei Filium, cujus caro non vidit corruptionem, Divinitas non est experta contagionem? Videte igitur, quanta Virginitatis merita sint. Christus ante virginem, Christus ex Virgine; a Patre quidem natus ante sæcula, sed ex virgine natus ob sæcula. Illud naturæ suæ, hoc nostræ utilitatis est. Illud erat semper, hoc esse voluit.

℟. Dilexisti justitiam, * & odisti iniquitatem: Propterea unxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ. ℣. Propter veritatem, & mansuetudinem, & justitiam. * Propterea unxit.

Lectio VI.

Spectate aliud virginitatis meritum. Christus Virgo virginis sponsus; & si dici potest Christus virgineæ castitatis. Virginitas enim Christi, non virginitatis est Christus. Virgo est ergo, quæ nupsit, virgo, quæ

quæ nos ſuo utero portavit, virgo, quæ genuit, virgo, quæ proprio lacte nutrivit. Sed jam a Matre deſcendamus ad filias. De virginibus, inquit Apoſtolus, præceptum Domini non habeo, conſilium autem do. Si Doctor gentium non habuit, habere quis poterit? & præceptum quidem non habuit, ſed habuit exemplum: non enim imperari poteſt virginitas, ſed optari. Nam quæ ſupra nos ſunt, in voto magis, quam in magiſterio ſunt.

℟. Afferentur Regi virgines poſt eam, proximæ ejus: * Afferentur tibi in lætitia, & exultatione. ℣. Specie tua & pulchritudine tua intende, proſpere procede, & regna. * Afferentur.

Gloria Patri. * Afferentur.

In Tertio Nocturno.

Homilia in Evangel. Simile eſt regnum Cœlorum Theſauro. *ut ſupra pag. 32.*

In Quadrageſ. IX. Lect. & comm. feriæ; Suffragia.

Veſp. a Cap. de ſequ. com. præc. &c.

Die XVII. Februarii.

Sancti Anaſtaſii Martyris.

Semiduplex.

In Romano 22. Januarii.

Omnia ut in Communi unius M. præter ſequentia.

Oratio.

Adeſto Domine ſupplicationibus noſtris: ut, qui ex iniquitate noſtra reos nos eſſe cognoſcimus, beati Anaſtaſii Martyris tui interceſſione liberemur. Per Dominum.

Comm. præced. & ſuffragia.

In Primo Nocturno.

Lectiones de ſcriptura occurrente. Sed in Quadrageſima: Fratres, debito-

bitores sumus, *de Communi plurimorum Martyrum. Responsoria de uno Martyre.*

In Secundo Nocturno.

Lectio IV.

Anastasius Persa, Monachus, Heraclio Imperatore, cum sanctam Jerosolymorum terram visitasset, ad Cæsaream Palæstinæ pro Christi religione vincula & verbera constanter perpessus est. Mox a Persis ob eandem causam variis cruciatibus affectus, a rege Chosroa una cum septuaginta aliis Christianis securi percutitur. Cujus reliquiæ primum Jerosolymam ad monasterium, in quo monasticam vitam professus erat, deindeRomam delatæ, collocatæ sunt in monasterio ad aquas Salvias.

℟. Honestum fecit illum Dominus, & custodivit eum ab inimicis, & a seductoribus tutavit illum: * Et dedit illi claritatem æternam. ℣. Descenditque cum illo in foveam: & in vinculis non dereliquit eum. * Et dedit illi.

Sermo Sancti Augustini Episcopi.

Sermone 44. de Sanctis.

Lectio V.

Triumphalis beatiMartyris Anastasii dies hodie nobis anniversaria celebritate recurrit: cujus glorificationi sicut congaudet Ecclesia, sic ejus proponit sequenda vestigia. Si enim compatimur, & conglorificabimur. In cujus glorioso agone duo nobis præcipue consideranda sunt: indurata videlicet tortoris sævitia, & Martyris invicta patientia. Sævitia tortoris, ut eam detestemur: patientia Martyris, ut eam imitemur. Audi Psalmistam adversus malitiam increpantem: Noli æmulari

lari in malignantibus: quoniam tanquam fœnum velociter arescent. Quod autem adversus malignantes patientia exhibenda sit, audi Apostolum suadentem: Patientia vobis necessaria est, ut reportetis promissiones.

℟. Desiderium animæ ejus tribuisti ei Domine, * Et voluntate labiorum ejus non fraudasti eum. ℣. Quoniam prævenisti eum in benedictionibus dulcedinis: posuisti in capite ejus coronam de lapide pretioso. * Et voluntate.

Lectio VI.

Coronata itaque est beati Martyris patientia, mancipata est æternis cruciatibus tortoris incorrecta malitia. Hoc attendens in agone suo gloriosus Christi athleta, non exhorruit carcerem. Ad imitationem capitis sui toleravit probra, sustinuit irrisiones, flagella non timuit: & quot ante mortem pro Christo pertulit supplicia, tot ei de se obtulit sacrificia. Quod enim propinante Apostolo biberat, alte retinebat: Quia non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis. Et quia momentaneum hoc & leve nostræ tribulationis, æternum gloriæ pondus operatur in cœlis. Hujus promissionis amore a terrenis suspensus, & prægustata supernæ suavitatis dulcedine ineffabiliter affectus, dicebat cum Psalmista: Quid mihi est in cœlo, & a te quid volui super terram? Defecit caro mea, & cor meum: Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternum.

℟. Stola jucunditatis induit eum Dominus: * Et coronam pulchritudinis posuit super caput ejus. ℣. Cibavit illum Do-

Dominus pane vitæ, & intellectus: & aqua sapientiæ salutaris potavit illum. * Et coronam. Gloria Patri. * Et coronam.

In Tertio Nocturno.

Homilia in Evangelium: Si quis venit ad me, *de Communi un. Martyris.*

In Quadragesima IX. Lectio & comm. feriæ; & Suffragia.

Vesp. a Cap. de Sequ. Comm. ut infra.

Die XVIII. Februarii.

S. Raymundi de Pennafort, Confessoris.

Semiduplex.

In Romano 23. Januarii.

Omnia ut in Breviario, & de Communi Conf. non Pont. In hymno: Iste Confessor, *mutat. 3. versus.*

Commem. 1. præced. Antiph. Qui vult venire. ℣. Justus ut palma.

2. Comm. S. Simeonis Episc. & Mart. Antiph. Iste Sanctus. ℣. Gloria, & honore. *& Suffragia.*

In Matutino (extra Quadragesimam IX. Lectio, &) in Laudibus comm. S. Simeonis Ep. M. ut in Romano, & Suffragia.

MARTIUS.

Die XVII. Martii.

In Festo S. Patritii Episc. Conf.

Pro commemoratione Sanctæ Gertrudis Virginis.

Ad Vesperas Antiph. Veni sponsa Christi. ℣. Specie tua.

Oratio.

Omnipotens sempiterne Deus: qui beatam Gertrudem Virginem tuam, ex regali stirpe progenitam, speciali hospitalitatis gratia sublimasti; concede propitius: ut ejus meritis & precibus intervenientibus, tam præsens, quam futu-

futurum hospitium nostræ fragilitati congruum, & tuæ Majestati gratiose semper inveniamus acceptum. Per Dominum.

In Laudibus pro commem.

Antiph. Simile est regnum cœlorum.

℣. Diffusa est gratia.

APRILIS.

Feria VI. post Dominicam in Albis.

Lanceæ, & Clavorum Domini.

Duplex II. Classis.

Omnia ut in Breviario Romano, inter officia nova ad calcem.

Festum Lanceæ, quod est approbatum ex Indulto in Germania, & celebratur Feria VI. post Dominicam in Albis; si ob occurrentiam alicujus Festi novem Lectionum impediatur, transferri debet ad aliam Feriam VI. intra tempus Paschale tantum. S. R. C. 5. Maji 1736. in Einsidlen.

Die IV. Aprilis.

Sancti Ambrosii Episcopi Confessoris, & Ecclesiæ Doctoris.

Duplex.

In Romano 7. Decembris.

Omnia de Communi Confessoris Pontificis, præter Orationem, & Lectiones II. Nocturni infra positas.

In hymno: Iste Confessor, *non mutat. 3. Versus.*

Ad Magnificat, Antiphona. O Doctor optime.

Oratio.

Deus, qui populo tuo æternæ salutis beatum Ambrosium ministrum tribuisti; præsta, quæsumus: ut quem Doctorem vitæ habuimus in terris, intercessorem habere mereamur in cœlis. Per Dominum.

In Primo Nocturno.

Lectiones: Fidelis sermo, *de Communi Confessoris Pontificis.*

In Secundo Nocturno.

Lectio IV.

Ambrosius Episcopus Mediolanensis, Ambrosii civis Romani filius, patre Galliæ Præfecto natus. In hujus infantis ore examen apum consedisse dicitur: quæ res divinam viri eloquentiam præmonstrabat. Romæ liberalibus disciplinis eruditus est. Post a Probo Præfecto, Liguriæ & Æmiliæ præpositus: unde postea ejusdem Probi jussu cum potestate Mediolanum venit: ubi mortuo Auxentio Ariano Episcopo, populus de successore deligendo dissidebat. Quare Ambrosius pro officii sui munere Ecclesiam ingressus, ut commotam seditionem sedaret; cum multa de quiete & tranquillitate rei publicæ præclare dixisset, derepente puero Ambrosium Episcopum exclamante, universi populi vox erupit, Ambrosium Episcopum deposcentis.

℟. Inveni David servum meum, oleo sancto meo unxi eum: * Manus enim mea auxiliabitur ei. ℣. Nihil proficiet inimicus in eo, & filius iniquitatis non nocebit ei. * Manus enim.

Lectio V.

Recusante illo, & eorum precibus resistente, ardens populi studium ad Valentinianum Imperatorem delatum est: cui gratissimum fuit, a se delectos judices ad sacerdotium postulari. Fuit id etiam Probo præfecto jucundum, qui Ambrosio proficiscenti quasi divinans dixerat: Vade, age, non ut judex, sed ut Episcopus. Itaque cum ad populi desiderium Imperatoris voluntas accederet, Ambrosius baptizatus, (erat enim Catechumenus) sacrisque initiatus, ac servatis omnibus ex instituto Ecclesiæ Ordinum gradibus, octavo die, qui fuit septimo

timo Idus Decembris, Episcopale onus suscepit. Factus Episcopus, Catholicam Fidem & disciplinam Ecclesiasticam acerrime defendit, multosque Arianos, & alios hæreticos ad fidei veritatem convertit, in quibus clarissimum Ecclesiæ lumen sanctum Augustinum JESU Christo peperit.

℟. Posui adjutorium super potentem, & exaltavi electum de plebe mea: * Manus enim mea auxiliabitur ei. ℣. Inveni David servum meum, oleo sancto meo unxi eum. * Manus enim.

Lectio VI.

Gratiano Imperatore occiso, ad Maximum ejus interfectorem, legatus iterum profectus est: eoque pœnitentiam agere recusante, se ab ejus communione semovit. Theodosium Imperatorem, propter cædem Thessalonicæ factam, ingressu Ecclesiæ prohibuit. Cui, cum ille David quoque regem adulterum, & homicidam fuisse dixisset, respondit Ambrosius: Qui secutus es errantem, sequere pœnitentem. Quare Theodosius sibi ab eo impositam publicam pœnitentiam humiliter egit. Ergo sanctus Episcopus pro Ecclesia Dei maximis laboribus curisque perfunctus, multis libris etiam egregie conscriptis, antequam in morbum incideret, mortis suæ diem prædixit. Ad quem ægrotum Honoratus Vercellensis Episcopus Dei voce ter admonitus accurrit, eique sanctum Domini corpus præbuit: quo ille sumpto, conformatis in crucis similitudinem manibus, orans, animam Deo reddidit pridie Nonas Aprilis, anno post Christum natum trecentesimo nonagesimo septimo.

℟. Iſte eſt, qui ante Deum magnas virtutes operatus eſt, & omnis terra doctrina ejus repleta eſt: * Ipſe intercedat pro peccatis omnium populorum. ℣. Iſte eſt, qui contempſit vitam mundi, & pervenit ad cœleſtia regna. * Ipſe intercedat.

Gloria Patri. * Ipſe intercedat.

In Tertio Nocturno.

Legitur Homilia ſancti Auguſtini Epiſcopi in Evangelium: Vos eſtis ſal terræ. *De Communi Doctorum.*

Die XXIII. Aprilis. Sancti Georgii Martyr.

Duplex.

Omnia ut in Romano, & Communi unius Martyris Temp. Paſchali.

Pro Commemoratione S. Adalberti Epiſcopi, & Martyris.

Ad Veſperas Antiph. Filiæ Jeruſalem, venite, & videte martyres cum coronis, quibus coronavit eos Dominus in die ſolemnitatis & lætitiæ, alleluja; alleluja.

℣. Pretioſa in conſpectu Domini, Alleluja. ℟. Mors ſanctorum ejus, alleluja.

Oratio.

Tuam nobis, Deus, indulgentiam ſanctus Adalbertus Epiſcopus, & Martyr imploret, ut & delicta nobis clementer ignoſcas, & beneficia deſiderata concedas. Per Dominum.

Pro S. Adalberto Epiſc. M.

Lectio IX.

Adalbertus, illuſtris proſapiæ Bohemus, totius Cleri, populique acclamatione, & voto, Pragenſis Epiſcopus conſtitutus, curam impoſiti muneris gnaviter expedivit. Eccleſiæ proventus ita partitus eſt, ut una pars Clero cederet, altera pauperibus, tertia captivis; reſidua ſuis ad neceſſa-

cessarios usus deserviret. Tandem Romam profectus, in Cassinensi Monasterio religiosam vitam diu professus, una cum Gaudentio fratre, ejusdem instituti Monacho, in Pannoniam, Pontificis jussu, abiit, ad disseminandam Christi legem. Ubi in Giessam Regem incidit, divino jam antea miraculo de ejus adventu admonitum. Itaque cum honore susceptus, totam eam gentem, antea feram & immanem, Christi cultu imbuit. Mox ad Sarmatas digressus, Russis, Lithuanis, Ruthenis; sed præcipue Polonis, eorumque Regi Boleslao Evangelium promulgavit. Denique in Prussia, cum ab impiis ad stipitem alligatus, septemque confixus lanceis, palpitaret, egisse Deo gratias dicitur, quod se martyrii tam diu optati, compotem feciisset.

In Laudibus pro commem. S. Adalberti Episc. Martyris.

Antiph. Lux perpetua lucebit sanctis tuis Domine, & æternitas temporum, alleluja.

℣. Sancti & justi in Domino gaudete, alleluja. ℟. Vos elegit Deus in hæreditatem sibi, alleluja.

Oratio: Tuam nobis, *ut supra.*

MAJUS.

Die I. Maji.

In Festo SS. Philippi, & Jacobi Apostolorum.

Pro S. Walburga Virgine.

Lectio IX.

Walburga, sancti Richardi Anglorum Regis filia; sanctorum Wilibaldi Aichstadiensis (Eystettensis) Episcopi, & Wunibaldi Abbatis Thuringiæ, Soror; Monasterii Haidenheim (in

Diœcesi Eystettensi) Abbatissa; virginitatem suam ab ipsis prope incunabulis Christo Sponso dicavit, omnibus hujus mundi illecebris fortiter contemptis. Quæ cum sanctitatem suam in patria omnibus mirum in modum probasset, a sancto Bonifacio Germanorum Apostolo fratrum assensu, ex Anglia cum plurimis aliis Deo devotis fœminis evocata est, ut disciplinam religiosam apud sanctimoniales partim plantaret, partim conservaret, ac amplificaret. Quo in munere dum summa integritatis, prudentiæ, charitatis, & sanctimoniæ laude, non sine editis miraculis, versaretur, ad gaudia cœlestia, quorum desiderio vehementer inflammata erat, migravit quinto Calendas Martii, anno salutis Septingentesimo septuagesimo sexto, in Monasterio suo, ubi corpus ejus primum conditum est: postea vero sacræ illius reliquiæ Calendis Maji translatæ Aichstadium perenni fulgent miraculo, quo ex benedictis ejusdem ossibus limpidissimum, variisque infirmitatibus salutiferum oleum manat.

Te Deum laudamus.

In Laudibus de hac S. Virgine Commemoratio.

Antiphona: Simile est regnum cœlorum homini negotiatori, quærenti bonas margaritas: inventa una pretiosa, dedit omnia sua, & comparavit eam, Alleluja.

℣. Diffusa est gratia in labiis tuis, Alleluja. ℟. Propterea benedixit te Deus in æternum, Alleluja.

Oratio.

Omnipotens sempiterne Deus, castorum corporum & mentium Conservator, & Custos; piis Ecclesiæ tuæ precibus

bus adesse dignare, & intercedente beata Walburga Virgine tua mentibus nostris pius illabere; & spiritalis vitæ nobis tribue puritatem. Per Dominum.

Die II. Maji.

Sancti Sigismundi Martyris.

Duplex.

Omnia de Communi Martyr. Temp. Pasch. præter Sequentia.

Oratio.

Deus, cujus natura Bonitas, cujus voluntas Potentia, cujus opus Misericordia est; quæsumus, Domine: ut præclaris beati Sigismundi martyris tui meritis, tua bonitas convertat nos a malis, & conservet in bonis; tua voluntas perficiatur in nobis; tua Misericordia salvet nos: ut, sicut tua voluntas sua Bonitate non potest privari; ita nos nunquam patiaris a tua Misericordia, gratia & protectione separari. Per Dominum.

In Primo Nocturno.

Lectiones de scriptura occurrente.

In Secundo Nocturno.

Lectio IV.

Sigismundus Burgundiæ Rex, quam a beato Avito Viennensi Episcopo pietatem hauserat, egregie excoluit. Charitate in pauperes, vitæ abstinentia, demissione animi, omni denique virtutum genere, sed præsertim religione in Deum, veneratione in Sanctos, illustris fuit. Inter cæteros, Thebæos Martyres, eorumque Ducem Mauritium mirifice coluit, quorum Agaunense templum, ubi eorum sacra corpora servabantur, & monasterium injuria temporum pene desertum, non modo restituit, sed magnificentius etiam exstructum,

ctum, monachorumque numero auctum, ampliſſimis reditibus locupletavit.

℟. Lux perpetua lucebit ſanctis tui Domine: * Et æternitas temporum, Alleluja, Alleluja. ℣. Lætitia ſempiterna ſuper capita eorum: gaudium & exultationem obtinebunt. * Et æternitas.

Lectio V.

Ad horum Martyrum tumulum cum frequenter accederet, illud rogare imprimis conſueverat, ut in eorum ſocietatem, ipſis exorantibus a Deo reciperetur. Hoc ipſo in templo, dum preces funderet, monitus ab Angelo divinitus eſt, ut, quod cœleſtium chori ipſo audiente mox erant facturi, monachos ad pſalmos alternis verſiculis decantandos hortaretur. Denique Syagrii filii necem, quam novercæ dolo, atque impulſu illi intulerat, hoc eodem in loco, ad ſanctorum Martyrum tumulum provolutus, uberrime deflevit, veniamque a Domino, ipſis deprecatoribus impetravit.

℟. In ſervis ſuis, Alleluja: * Conſolabitur Deus, Alleluja. ℣. Judicabit Dominus populum ſuum, & in ſervis ſuis * Conſolabitur.

Lectio VI.

Interim cum in Burgundiam Franci irrupiſſent: Sigismundus una cum Gondemaro fratre illis occurrit. Fuſus ab hoſtibus, cum ad Agaunenſe monaſterium, quaſi in portum confugiſſet, prodentibus ſuis, in Clodomiri poteſtatem venit. Abductus ejusdem juſſu in Gallias, atque in carcerem primo conjectus, mox etiam in puteum una cum uxore, & liberis præceps eſt datus. Sacri corporis reliquiæ poſt trien-

triennium ad Agaunense templum delatæ, in eodem jacuere; donec a Carolo IV. Cæsare Pragam advectæ, glorioſum ibidem tumulum invenere.

℟. Filiæ Jeruſalem, venite, & videte Martyres cum coronis, quibus coronavit eos Dominus: * In die ſolemnitatis, & lætitiæ, Alleluja. ℣. Quoniam confortavit ſeras portarum tuarum, benedixit filios tuos in te. * In die ſolemnitatis.

Gloria Patri. * In die ſolemnitatis.

In Tertio Nocturno.

Lectio ſancti Evangelii ſecundum Joannem.

Lectio VII. Cap. 15.

In illo tempore: dixit JESUS diſcipulis ſuis: Ego ſum vitis vera, & Pater meus agricola eſt. Et reliqua.

Homilia ſancti Auguſtini Epiſcopi.

Tract. 81. *in Joann.*

Vitem ſe dixit eſſe JESUS, & diſcipulos ſuos palmites, & agricolam Patrem: unde jam pridem ſicut potuimus, diſputatum eſt. In hac autem lectione, cum adhuc de ſeipſo, qui eſt vitis: & de ſuis palmitibus, hoc eſt, diſcipulis loqueretur: Manete, inquit, in me, & ego in vobis. Non eo modo illi in ipſo, ſicut ipſe in illis: utrumque autem prodeſt, non ipſi, ſed illis. Ita quippe in vite ſunt palmites, ut viti non conferant, ſed inde accipiant, unde vivant: ita vero vitis eſt in palmitibus, ut vitale alimentum ſubminiſtret eis, non ſumat ab eis.

℟. Ego ſum vitis vera, & vos palmites: * Qui manet in me, & ego in eo, hic fert fructum multum, Alleluja, Alleluja. ℣. Sicut dilexit me Pater, & ego dilexi vos. * Qui manet.

Lectio

Lectio VIII.

Ac per hoc, & manentem in se habere Christum, & manere in Christo, discipulis prodest utrumque, non Christo. Nam præciso palmite potest de viva radice alius pullulare; qui autem præcisus est, sine radice non potest vivere. Denique adjungit, & dicit: Sicut palmes non potest ferre fructum a semetipso, nisi manserit in vite: sic nec vos, nisi in me manseritis. Magna gratiæ commendatio: corda instruit humilium, ora obstruit superborum.

℟. Candidi facti sunt Nazaræi ejus, alleluja: Splendorem Deo dederunt, alleluja: * Et sicut lac coagulati sunt, alleluja, alleluja. ℣. Candidiores nive, nitidiores lacte, rubicundiores ebore antiquo, sapphiro pulchriores. * Et sicut lac.

Gloria Patri. * Et sicut lac.

Lectio IX.

Ecce cui, si audent, respondeant; qui ignorantes Dei justitiam, & suam volentes constituere, justitiæ Dei non sunt subjecti. Ecce cui respondeant sibi placentes, & ad bona opera facienda Deum sibi necessarium non putantes. Nonne huic resistunt veritati, homines mente corrupti, reprobi circa fidem; qui respondent, & loquuntur iniquitatem, dicentes: A Deo habemus, quod homines sumus: a nobis ipsis autem, quod justi sumus? Hæc sunt inania præsumptionis vestræ; sed, quid vos sequatur, videte: & si est in vobis ullus sensus, horrete. Qui enim a semetipso se fructum existimat ferre, in vite non est; qui in vite non est, in Christo non est; qui in Christo non est, Christianus non est.

Te Deum Laudamus.

Die

Die IV. Maji.

In Festo S. Monicæ Viduæ.

Pro Commemoratione Sancti Gothardi Episcopi Confessoris.

Ad Vesp. Antiph. Sacerdos, & Pontifex.

℣. Amavit eum.

Oratio.

Exaudi Domine preces nostras, quas in beati Gothardi Confessoris tui atque Pontificis solemnitate deferimus: & qui tibi digne meruit famulari, ejus intercedentibus meritis ab omnibus nos absolve peccatis. Per Dominum.

Die VI. Maji.

Sancti Joannis Apostoli & Evangelistæ *ante portam latinam.*

Patrocinium Diœcesis primarium.

Dupl. I. Classis cum octava. Omnia ut in Romano.

Die XIII. Maji.

Octava S. Joannis Apostoli & Evangelistæ *ante portam latinam.*

Duplex.

Omnia ut in festo, & Communi Apostolor. præter sequentia.

In I. Vesperis Commem. 1. præced.

Antiph. Sancti & justi.

℣. Pretiosa in Conspectu.

Oratio: Semper nos. *ut in Romano.*

2. Commem. S. Servatii Episc. Conf.

Antiph. Sacerdos, & Pontifex.

℣. Amavit eum.

Oratio.

Deus, qui populo tuo æternæ salutis beatum Servatium Episcopum, ministrum concessisti; præsta, quæsumus: ut, quem Doctorem vitæ habuimus in terris, Intercessorem semper apud te mereamur habere in cœlis.

3. Com-

3. Commem. de plurimis SS. Martyribus Ægyptiis non nominatis.

Antiph. Lux perpetua lucebit sanctis tuis Domine, & æternitas temporum, alleluja.

℣. Lætitia sempiterna super capita eorum, alleluja. ℟. Gaudium & exultationem obtinebunt alleluja.

Oratio.

Concede, quæsumus, Omnipotens Deus, ad eorum nos gaudia æterna pertingere; de quorum nos virtute tribuis annua solemnitate gaudere. Per Dominum.

In Primo Nocturno.

Lectiones de scriptura occurrente.

In Secundo Nocturno.

Ex Tractatu sancti Augustini Episcopi in Joannem.

Tract. 36. ad initium.

Lectio IV.

In quatuor Evangeliis, vel potius quatuor libris unius Evangelii, sanctus Joannes Apostolus non immerito secundum intelligentiam spiritualem aquilæ comparatus, altius, multoque sublimius aliis tribus erexit prædicationem suam: & in ejus erectione etiam corda nostra erigi voluit. Nam cæteri tres Evangelistæ tanquam cum homine Domino in terra ambulant, & de Divinitate ejus pauca dixerunt: istum autem quasi piguerit in terra ambulare; sicut ipso exordio sui sermonis intonuit, erexit se non solum super terram, & super omnem ambitum aëris & cœli; sed super omnem etiam exercitum Angelorum, omnemque constitutionem invisibilium Potestatum; & pervenit ad eum, per quem facta sunt omnia, dicendo: *In principio erat verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum.*

℟. Lux

℟. Lux perpetua lucebit sanctis tuis Domine, * Et æternitas temporum, alleluja, alleluja. ℣. Lætitia sempiterna erit super capita eorum, gaudium & exultationem obtinebunt; * Et æternitas.

Lectio V.

Huic tantæ sublimitati Principii etiam cætera congrua prædicavit, & de Domini Divinitate, quomodo nullus alius, est locutus: hoc ructabat, quod biberat. Non enim sine causa de illo in isto Evangelio narratur, quia & in convivio super pectus Domini discumbebat. De illo ergo pectore in secreto bibebat; sed quod in secreto bibit, in manifesto eructavit; ut perveniat ad omnes gentes non solum incarnatio Filii Dei, passio, & resurrectio; sed etiam quod erat ante incarnationem unicus Patri, verbum Patris, coæternus generanti, æqualis ei, a quo missus est.

℟. Virtute magna reddebant Apostoli, * Testimonium resurrectionis Jesu Christi Domini nostri, alleluja, alleluja. ℣. Repleti quidem Spiritu Sancto loquebantur cum fiducia verbum Dei. * Testimonium.

Lectio VI.

Aquila ipse est Joannes, sublimium prædicator, & lucis internæ atque æternæ fixis oculis contemplator. Dicuntur enim & pulli aquilarum a parentibus sic probari, patris scilicet ungue suspendi, & radiis solis opponi. Qui firme contemplatus fuerit, filius agnoscitur; si acie palpitaverit, tanquam adulterinus ab ungue dimittitur. Jam ergo videte, quam sublimia loqui debuit, qui est aquilæ comparatus: & tamen etiam nos humi repentes, infirmi, & vix ullius momenti

menti inter homines, audemus tractare ista, & ista exponere: & putamus nos aut capere posse, cum cogitamus, aut capi, dum dicimus.

℟. Isti sunt agni novelli, qui annuntiaverunt, alleluja: modo venerunt ad fontes, * Repleti sunt claritate, alleluja, alleluja. ℣. In conspectu Agni amicti sunt stolis albis, & palmæ in manibus eorum. * Repleti sunt.

Gloria Patri. * Repleti sunt.

In Tertio Nocturno.

Lectio sancti Evangelii secundum Matthæum.

Lectio VII. *Cap.* 20.

In illo tempore: Accessit ad Jesum mater filiorum Zebedæi cum filiis suis, adorans, & petens aliquid ab eo. Et reliqua.

Homilia sancti Ambrosii Episcopi.

Lib. 5. *de Fide ad Gratianum, cap.* 2. *post initium.*

Considerate, quæ mater filiorum Zebedæi cum filiis & pro filiis petat: Mater est utique, cui pro filiorum honore solicitæ, immoderatior quidem, sed tamen ignoscenda mensura votorum est. Atque mater ætate longæva, studio religiosa, solatio destituta, quæ tunc temporis, quando vel juvanda, vel alenda foret validæ prolis auxilio, abesse sibi liberos patiebatur, & voluptati suæ mercedem sequentium Christum prætulerat filiorum. Qui prima voce vocati a Domino (ut legimus) relictis retibus & patre secuti sunt eum.

℟. Ego sum vitis vera, & vos palmites: * Qui manet in me, & ego in eo, hic fert fructum multum, alleluja, alleluja. ℣. Sicut dilexit me Pater, & ego dilexi vos. * Qui manet.

Lectio VIII.

Hæc igitur studio maternæ

ternæ ſedulitatis indulgentior obſecrabat Salvatorem, dicens: *Ut ſedeant hi duo filii mei, unus ad dexteram tuam, & alter ad ſiniſtram in regno tuo.* Et ſi error, pietatis tamen error eſt. Neſciunt enim materna viſcera patientiam: & ſi voti avara, tamen veniabilis cupiditas, quæ non pecuniæ eſt avida, ſed gratiæ. Nec inverecunda petitio, quæ non ſibi, ſed liberis conſulebat. Matrem conſiderate, matrem cogitate.

℟. Candidi facti ſunt Nazaræi ejus, alleluja: ſplendorem Deo dederunt, alleluja: * Et ſicut lac coagulati ſunt, alleluja, alleluja. ℣. Candidiores nive, nitidiores lacte, rubicundiores ebore antiquo, ſapphiro pulchriores. * Et ſicut lac.

Gloria Patri. * Et ſicut lac.

Pro ſancto Servatio Epiſcopo Confeſſore.

Lectio IX.

Servatius Epiſcopus Tungrorum, ſtrenuus defenſor fidei Catholicæ, aſſidue vigiliis ac jejuniis miſericordiam Domini precabatur, ne ab Hunnorum gente Gallia infeſtaretur; Romamque ad ſancti Petri tumulum propterea properavit, ut adjunctis ſibi Apoſtolicæ virtutis patrociniis, facilius obtineret. Verum reſponſo accepto, Hunnos Gallias depopulaturos, ipſius autem oculos non viſuros; ad ſuos rediens, rebus diſpoſitis valedicit, & Trajectenſem urbem moriturus accedit: ubi modica febre correptus, ad meliorem tranſiit vitam. Cujus ibidem ſepulchrum, quam diu ſub dio fuit, nix nunquam attigit, multisque aliis miraculis claret.

Te Deum laudamus.

In Laudibus commemo-

ratio 1. de S. Servatio Episcopo Conf.

Antiph. Euge serve bone.

℣. Justum deduxit.

Oratio: Deus, qui populo tuo. *ut supra.*

2. Commem. de sanctis Martyribus Ægyptiis non nominatis.

Antiph. Lux perpetua.

℣. Sancti, & justi.

Oratio: Concede, *ut supra.*

JUNIUS.

Dominica I. post Pentecost.

SSS. TRINITATIS.

Duplex II. Classis cum Octava.

In Festo, omnia ut in Romano.

Tertia die infra Octavam SSS. Trinitatis.

Semiduplex.

In Primo Nocturno.

Lectiones de scriptura occurrente.

In Secundo Nocturno.

Sermo sancti Athanasii Episcopi.

In id: Omnia mihi tradita sunt.

Lectio IV.

Mirum est, impios nefaria audere garrire, cum & homines sint, & quæ in terra sunt, nequeant explicare. Sed quid dico, quæ in terra sunt? Imo vel sua ipsorum nobis exponant, videantque, num satis explorate investigare queant, quæ ipsorum naturæ sunt? Homines profecto audaces, & protervi, qui non tremunt eam gloriam, in quam cupiunt Angeli proni inclinatique aspicere; cum præ illis longe sint natura, & ordine sublimiores. Quid enim propinquius Cherubinis, & Seraphinis? Illi non obtuentur hanc Majestatem, aut in pedibus erectos se tenent; imo ne faciem quidem nudam relinquunt; sed

ea

ea obvelata gloriam, majestatemque Dei, labiis nunquam cessantibus extollunt: nihil aliud, quam Divinam & ineffabilem naturam triplici titulo Sanctitatis glorificantes.

℟. Quis Deus magnus sicut Deus noster? * Tu es Deus, qui facis mirabilia. ℣. Notam fecisti in populis virtutem tuam, redemisti in brachio tuo populum tuum. * Tu es Deus.

Lectio V.

Neque est quisquam sanctorum Prophetarum inter eos, qui maxime digni habiti sunt, ut ejusmodi spectaculis interessent, qui nobis id se audisse renuntiavit: Angelos illos in primis vicibus exclamandi, Sanctus, maxima voce usos esse; in secundis autem non æque magna: in tertiis adhuc submissiori: Et primam sanctificationem propriam legitimamque esse: secundam autem inferioris notæ: tertiam adhuc gradatim deterioris conditionis esse. Apage sis! valeat dementia execrabilium hominum. Trinitas enim undecumque laudabilis, & venerabilis, & adoranda, una est, & indivisibilis, & quæ figura exprimi nequeat.

℟. Tibi laus, tibi gloria, tibi gratiarum actio in sæcula sempiterna, * O beata Trinitas. ℣. Et benedictum nomen gloriæ tuæ sanctum, & laudabile, & superexaltatum in sæcula. * O beata.

Lectio VI.

Conjunguntur autem una hæ sanctificationes pro insecabili illa unitate. In eo enim ipso, quo amplissima illa animantia tertio proferunt glorificationem, dum ajunt: Sanctus, Sanctus, Sanctus; triplici numero tres perfectas, absolutas, integras personas ostendunt. Quem-

admodum sub unica voce, Dominus, unam substantiam declarant. Hæc est enim vera doctrina, hoc est verum signum, argumentumque, quod ita ista inter se consentiunt, neque dissident vel inter se, vel inter Patres. Nam etsi temporibus distent, in id tamen omnes contendunt; neque immerito: unius enim Dei Prophetæ sunt, unumque, & idem verbum concorditer prædicant.

℟. Magnus Dominus, & laudabilis nimis: * Et sapientiæ ejus non est numerus. ℣. Magnus Dominus, & magna virtus ejus; & sapientiæ ejus non est finis. * Et sapientiæ.

Gloria Patri. * Et sapientiæ.

In Tertio Nocturno.

Lectio sancti Evangelii secundum Matthæum.

Lectio VII. Cap. 28.

In illo tempore: Dixit JESUS discipulis suis: Data est mihi omnis potestas in cœlo, & in terra: Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti. Et reliqua.

Homilia sancti Hilarii Episcopi.

Lib. 2. de Trinitate.

Sufficiebat quidem credentibus Dei sermo, qui in aures nostras Evangelistæ testimonio cum ipsa veritatis suæ virtute transfusus est, cum dicit Dominus: Euntes nunc, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti. Quid enim in eodem Sacramento salutis humanæ non continetur? Aut quid est, quod reliquum sit, aut obscurum? Plena sunt omnia, & perfecta, ut a pleno & perfecto; nam & verborum significationem, & efficientiam rerum, & negotiorum ordinem,

dinem, & naturæ intelligentiam comprehendunt.

℟. Benedicamus Patrem, & Filium cum sancto Spiritu: * Laudemus, & superexaltemus eum in sæcula. ℣. Benedictus es Domine in firmamento cœli, & laudabilis, & glorioſus in sæcula. * Laudemus.

Lectio VIII.

Baptizare jussit in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti; id est, in confessione & Auctoris, & Unigeniti, & Doni. Auctor est unus omnium: Unus est enim ingenitus DEUS Pater, ex quo omnia: & unus Unigenitus Dominus noster JESUS Christus, per quem omnia: & unus Spiritus, Donum in omnibus; omnia ergo sunt suis virtutibus ac meritis ordinata. Una potestas innascibilis, ex qua omnia: una progenies, per quam omnia: perfectæ spei munus unum. Nec deesse quidquam consummationi tantæ reperietur, intra quam sit in Patre & Filio, & Spiritu sancto, Infinitas in æterno, species in imagine, usus in munere.

℟. Duo Seraphim clamabant alter ad alterum: * Sanctus, sanctus, sanctus, Dominus Deus Sabaoth: * Plena est omnis terra gloria ejus. ℣. Tres sunt, qui testimonium dant in cœlo, Pater, Verbum, & Spiritus sanctus: & hi tres unum sunt. * Sanctus.

Gloria Patri. * Plena est.

Lectio IX.

Sed compellimur hæreticorum, & blasphemantium vitiis, illicita agere, ardua scandere, ineffabilia eloqui, inconcessa præsumere: & cum sola fide expleri, quæ præcepta sunt, oporteret, adorare scilicet Patrem, & venerari cum eo Filium,

um, sancto Spiritu abundare; cogimur sermonis nostri humilitatem ad ea, quæ inenarrabilia sunt, extendere: & in vitium vitio coarctamur alieno; ut, quæ contineri religione mentium oportuisset, nunc in periculum humani eloquii proferantur. De intelligentia enim hæresis, non de scriptura est: & sensus, non sermo, fit crimen.

Te Deum laudamus.

Quarta die infra Octavam SSS. Trinitatis.

Semiduplex.

In Primo Nocturno.

Lectiones de scriptura occurrente.

In Secundo Nocturno.

Sermo Sancti Ambrosii Episcopi,

De dignitate conditionis humanæ. Cap. 1.

Lectio IV.

Anima quandam Sanctæ Trinitatis habet imaginem. Primo in eo, quia sicut DEUS est, vivit, & sapit; ita anima secundum suum modum est, vivit, & sapit. Est quoque & alia trinitas in ea; qua ad imaginem sui Conditoris, perfectæ quidem & summæ Trinitatis, quæ ex Patre, & Filio, & Spiritu sancto condita est; & licet unius illa naturæ, tres tamen in se dignitates habet: id est, intellectum, voluntatem, & memoriam.

℟. Quis Deus magnus sicut Deus noster? * Tu es DEUS, qui facis mirabilia. ℣. Notam fecisti in populis virtutem tuam, redemisti in brachio tuo populum tuum. * Tu es DEUS.

Lectio V.

Nam sicut ex Patre generatur Filius, & ex Patre, Filioque procedit Spiritus sanctus: ita ex intellectu generatur voluntas, & ex his am-

ambobus procedit memoria, sicut facile a sapiente quolibet intelligi potest. Nec enim anima perfecta esse potest sine his tribus, nec horum trium unum aliquod, quantum ad suam pertinet beatitudinem, sine aliis duobus integrum constat; & sicut Deus Pater, Deus Filius, Deus Spiritus sanctus est, non tamen tres Dii sunt, sed unus Deus tres habens Personas; ita & anima intellectus, anima voluntas, anima memoria, non tamen tres animæ in uno corpore, sed una anima tres habens dignitates.

℟. Tibi laus, tibi gloria, tibi gratiarum actio in sæcula sempiterna, * O beata Trinitas. ℣. Et benedictum nomen gloriæ tuæ sanctum, & laudabile, & superexaltatum in sæcula. * O beata Trinitas.

Lectio VI.

Atque in his tribus ejus imaginem mirabiliter gerit in sua natura noster interior homo, ex quibus quasi excellentioribus animæ dignitatibus jubemur diligere Conditorem; ut, in quantum intelligitur, diligatur; & quantum diligitur, semper in memoria habeatur. Nec solus sufficit de eo intellectus, nisi fiat in amore ejus voluntas; imo nec hæc duo sufficiunt, nisi memoria addatur, qua semper in mente intelligentis, & diligentis maneat Deus: ut, sicut non potest esse momentum, quo homo non utatur, vel fruatur Dei bonitate & misericordia; ita nullum debeat esse momentum, quo præsentem eum non habeat memoria.

℟. Magnus Dominus, & laudabilis nimis: * Et sapientiæ ejus non est numerus. ℣. Magnus Dominus, & magna virtus

ejus: & sapientiæ ejus non est finis. * Et sapientiæ.

Gloria Patri. * Et sapientiæ.

In Tertio Nocturno.

Lectio sancti Evangelii secundum Matthæum.

Lectio VII. Cap. 28.

In illo tempore: Dixit JESUS discipulis suis: Data est mihi omnis potestas in cœlo & in terra. Euntes ergo, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti. Et reliqua.

Homilia sancti Joannis Chrysostomi.

Libr. 3. *in Sermone de SS. Trinit. post initium.*

Vide, oro, testimonia sanctæ, & consubstantialis Trinitatis, & venerare illam recte, ne pereas. Et dixit, inquit, Deus: Faciamus hominem secundum imaginem nostram. Cum quo consilium init Deus? cum Angelis, inquis. At non habent Angeli imaginem Dei. Loquitur autem ad Coopificem Filium, & Spiritum sanctum. Audi Psaltem dicentem: *Verbo Domini Cœli firmati sunt, & Spiritu oris ejus omnis virtus eorum;* non ignoras autem, Verbum esse Filium? Item & alio loco dicit scriptura: *Venite, & descendamus, & confundamus illorum linguas.* Dicendo: *Venite,* pares honore exhortando vocat: unius est vox ad duos honore æquales.

℟. Benedicamus Patrem, & Filium cum sancto Spiritu: * Laudemus, & superexaltemus eum in sæcula. ℣. Benedictus es Domine in firmamento cœli, & laudabilis, & gloriosus in sæcula. * Laudemus.

Lectio VIII.

Audi quoque & beatum Job, qui manifeste declarat inseparabilem Trinitatem. Dicit enim:

nim: Vivit Dominus, qui sic me judicavit, & Omnipotens, qui amaram fecit animam meam, & Spiritus Divinus, qui tenetur in naribus meis. Dicendo Dominum, & Omnipotentem, & Spiritum Dei: consubstantialem prædicat. Discе & hymnum Seraphim clamantium tertio: Sanctus, Sanctus, Sanctus. Non enim dicunt semel Sanctus, neque bis, neque quater: ut ne multis nominibus multos Deos nobis inducerent, sed unum solum. Ter autem dicendo Sanctus: manifestant unam & æqualem gloriam Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Audi item & Prophetam dicentem: Spiritus Domini locutus est in me, & sermo illius in ore meo pronunciatus est: quia Deus erat sermo. Ecce, dicendo Spiritum Domini, & Sermonem, & Dominum: pronunciat inseparabilem Trinitatem.

℟. Duo Seraphim clamabant alter ad alterum: * Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus Sabaoth: * Plena est omnis terra gloria tua. ℣. Tres sunt, qui testimonium dant in cœlo, Pater, Verbum, & Spiritus Sanctus: & hi tres unum sunt: * Sanctus. Gloria Patri. * Plena est.

Lectio IX.

Per hæc omnia, unum regnum indivisibilis Trinitatis intelligere possumus. Ipse autem Deus Sermo, qui propter nos vere incarnatus, rediturus unde venerat, dicit sanctis Apostolis suis: *Ite, & docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.* Obsignati sumus; sed unum signaculum est Sanctæ Trinitatis, unum baptisma. Quomodo igitur audes

audes a paterna substantia alienare Filium, vel Spiritum Sanctum? Neque enim, si alieni sunt, cum Patre debebant connumerari; quanam ratione in baptismo debuerunt annumerari? Enim vero, si nomen Patris solum, eum, qui baptizatur, potest salvare: quare coassumuntur & creaturæ, quasi Pater non possit solus salvare? Absit.

Te Deum Laudamus.

Octava Sanctissimæ Trinitatis.

Duplex majus.

Officium ut in Festo, exceptis Lectionibus IIdi, & IIItii Nocturni propriis; cum Commemoratione Dominicæ, & oct. SS. Corporis Christi.

In Primo Nocturno.

Lectiones ut in Festo.

In Secundo Nocturno.

Sermo sancti Augustini Episcopi.

Lib. 15. de Trinit. cap. 2.

Lectio IV.

Deus ipse, quem quærimus, adjuvabit, ut spero, ne sit infructuosus labor noster; & intelligamus, quemadmodum dictum sit in Psalmo sacro: *Lætetur cor quærentium Dominum; quærite Dominum, & confirmamini, quærite faciem ejus semper.* Videtur enim, quod semper quæritur, nunquam inveniri; & quomodo jam lætabitur, & non potius contristabitur cor quærentium, si non potuerint invenire, quod quærunt? Non enim ait, lætetur cor invenientium, sed, quærentium Dominum; & tamen Dominum Deum inveniri posse, dum quæritur, testatur Esaias, dum dicit: quærite Dominum, & mox ut inveneritis, invocate eum.

℟. Quis Deus magnus sicut Deus noster? * Tu es

es Deus, qui facis mirabilia. ℣. Notam fecisti populis virtutem tuam, redemisti in brachio tuo populum tuum. * Tu es Deus.

Lectio V.

Si igitur quæsitus inveniri potest, cur dictum est: quærite faciem ejus semper? An & inventus forte quærendus est? Sic enim sunt incomprehensibilia requirenda, ne se existimet nihil invenisse, qui, quam sit incomprehensibile, quod quærebat, potuerit invenire. Cur ergo sic quærit, si incomprehensibile comprehendit esse, quod quærit: nisi quia cessandum non est, quamdiu in ipsa incomprehensibilium rerum inquisitione proficitur: & melior, meliorque sit quærens tam magnum bonum, quod & inveniendum quæritur, & quærendum invenitur? Nam & quæritur, ut inveniatur dulcius, et invenitur, ut quæratur avidius.

℟. Tibi laus, tibi gloria, tibi gratiarum actio in sæcula sempiterna, * O beata Trinitas. ℣. Et benedictum nomen gloriæ tuæ sanctum, & laudabile, & superexaltatum in sæcula. * O beata.

Lectio VI.

Secundum hoc accipi potest, quod dictum est in libro Ecclesiastico, dicere Sapientiam: Qui me manducant, adhuc esurient, & qui bibunt me, adhuc sitient. Manducant enim, & bibunt, quia inveniunt: & quia esuriunt, & sitiunt, adhuc quærunt. Fides quærit, intellectus invenit. Propter quod ait Propheta: Nisi credideritis, non intelligetis. Et rursus intellectus eum, quem invenit, adhuc quærit. Deus enim respexit super filios hominum, sicut in Psalmo sacro canitur: *ut videat, si est intelligens, aut requi-*

requirens Deum. Ad hoc ergo debet homo esse intelligens, ut requirat Deum.

℟. Magnus Dominus, & laudabilis nimis: * Et sapientiæ ejus non est numerus. ℣. Magnus Dominus, & magna virtus ejus, & sapientiæ ejus non est finis. * Et sapientiæ.

Gloria Patri. * Et sapientiæ.

In Tertio Nocturno.

Lectio sancti Evangelii secundùm Matthæum.

Lectio VII. Cap. 28.

In illo tempore: Dixit JESUS discipulis suis: Data est mihi omnis potestas in cœlo, & in terra. Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti. Et reliqua.

De Homilia sancti Basilii Episcopi.

De vera fide, in fine.

Tria nomina seorsum singula, suam peculiarem quandam proprietatem aperte significant, quæ pie considerari in ipsis potest. Atque in Patre quidem proprietas Patris, in Filio vero proprietas filii, in Spiritu sancto postremo sua quædam a duobus diversa proprietas; cum neque Spiritus sanctus a seipso loquatur, neque Filius a semetipso faciat quicquam: ac Pater quidem Filium mittat, Filius vero Spiritum sanctum. Sic sentimus, & sic baptizamus in Trinitatem consubstantialem; idque ex præcepto ipsius Domini nostri Jesu Christi, qui dixit: Euntes, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti: docentes eos servare omnia, quæcumque mandavi vobis.

℟. Benedicamus Patrem, & Filium cum sancto Spiritu: * Laudemus,

mus, & superexaltemus eum in sæcula. ℣. Benedictus es Domine in firmamento cœli, & laudabilis, & gloriosus in sæcula. * Laudemus.

Lectio VIII.

Quæ servantes, & charitatem erga illum habere nos demonstramus, et digni efficimur, qui in ea maneamus. Quod cum ita sit, magnopere hortor, et hortatos velim vos, Fratres charissimi; ut missa istiusmodi curiosa investigatione, flagitiosaque verborum contentione, his contenti simus, quæ a sanctis viris, atque ab ipso adeo Domino nostro Jesu Christo dicta sunt: eaque sentiamus, quæ respondeant cœlesti vocationi; et vitam agamus Christi Evangelio convenientem, sempiternam vitam, et cœleste regnum sperantes, paratum omnibus servantibus mandata Dei, et Patris; quæ sunt secundum Evangelium beati Dei Jesu Christi Domini nostri, in Spiritu sancto, et veritate.

℟. Duo Seraphim clamabant alter ad alterum: * Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus Sabaoth: * Plena est omnis terra gloria ejus. ℣. Tres sunt, qui testimonium dant in cœlo, Pater, Verbum, et Spiritus Sanctus: et hi tres unum sunt. * Sanctus.

Gloria Patri. * Plena est.

Lectio IX.

De Homilia Dominicæ infra octavam SS. Corporis Christi, seu II. post Pentecosten, & ad Primam dicitur Symbolum: Quicumque; *ac in ℟. br. ℣.* Qui natus es.

In Laudibus, Missa, & Vesp. commem. Dnicæ, & octavæ SS. Corporis Christi. In hymnis ultimus ℣. Jesu, tibi sit gloria.

Domi-

Dominica III. post Pentecost. Sancti Erasmi Episcopi, & Martyris.

Duplex majus.

Omnia de Communi unius Martyris, præter sequentia.

Oratio.

Omnis bonitatis origo, et consummatio, Deus: cujus gratia beatus Erasmus Martyr et Pontifex diversorum vicit genera tormentorum; fac nos, quæsumus: ipsius intervenientibus meritis, cunctas inimicorum nostrorum insidias superare, et ab omni angustia corporis et animæ liberari. Per Dominum. *Comm. Domin.*

In Primo Nocturno.

Lectiones: A Mileto Paulus, *de Communi unius Martyris.*

In Secundo Nocturno.

Lectio IV.

Erasmus Episcopus, Imperatoribus Diocletiano et Maximiano, in Campania plumbatis et fustibus cæsus, resina quoque, sulphure, plumbo liquefacto, et ferventi pice, cera, oleoque perfusus, inde tamen integer et inviolatus evasit. Quo miraculo multi se ad Christi fidem converterunt. Verum is iterum detrusus in carcerem, constrictus ferreis gravissimisque vinculis, inde ab Angelo mirabiliter ereptus est. Denique Formiis a Maximiano variis affectus supplicii, tunicaque ærea candenti indutus, illa etiam tormenta, divina virtute superavit. Denique plurimis, et in fide confirmatis, et ad fidem conversis, insignem martyrii palmam adeptus est.

℟. Honestum fecit illum Dominus, et custodivit eum ab inimicis, et a seductoribus tutavit illum: * Et dedit illi claritatem

tatem æternam. ℣. Descenditque cum illo in foveam: & in vinculis non dereliquit eum. * Et dedit illi.

Sermo sancti Fulgentii Episcopi.

De S. Cypriano.

Lectio V.

Clarum tanti Martyris natalis diem, beati scilicet Erasmi; quo terrenis, ac moribundis membris exutus, ad æternæ præmia vitæ transmigravit: & sacerdotii ejus doctrinam, & martyrii nobis victoriam commendavit, fecitque ex temporali quondam tristitia liberiorem. Dum enim inter periculum cruentæ mortis, & gloriam devoti certaminis, Episcopus confitendo patitur: Ecclesia orando compatitur. Quis nesciat, hunc ipsum, qui nunc annua circumstitutione festus nobis revolvitur dies, Christianis ac religiosis mentibus illo tunc tempore fuisse solicitum: dum adversus diabolum ab Antistite suscepto culmine pia plebis expectatio trepidaret: atque ita fides resisteret persequenti, ne caro succumberet blandienti; ita pastor præcederet, ne ovile desereret, desertumque lupus invaderet.

℟. Desiderium animæ ejus tribuisti ei Domine: * Et voluntate labiorum ejus non fraudâsti eum. ℣. Quoniam prævenisti eum in benedictionibus dulcedinis: posuisti in capite ejus coronam de lapide pretioso. * Et voluntate.

Lectio VI.

Dolebat Ecclesia, subtractum interim suo consortio tam clarissimum Sacerdotem, sed tamen gaudebat, prostrato adversario Christi, Martyrem extitisse victorem. Erat in memoria doctrina laudabilis, ver-

sabatur ante oculos virtus mirabilis, quando Sanctus Deo servabat, quod docuerat: & quid cæteri facere deberent, non jam verbis, sed operibus demonstrat; fidem sermonum exemplis, rerum valida soliditate confirmans, credens & confidens pro omnium salute Christum mortuum, ac se pro ejus nomine non subtrahere occidendum. Cujus enim sanguine tunc indignus redemtus fuerat, dignum suum sanguinem pro illo fundebat: & cujus sanguinem in hac vita fideliter biberat, ab ipso sibi æternam vitam reddi posse crediderat.

℟. Stola jucunditatis induit eum Dominus: * Et coronam pulchritudinis posuit super caput ejus. ℣. Cibavit illum Dominus pane vitæ & intellectus: & aquâ sapientiæ salutaris potavit illum. * Et coronam. Gloria Patri. Et coronam.

In Tertio Nocturno.

Lectio sancti Evangelii secundum Matthæum.

Lectio VII. Cap. 16.

In illo tempore: Dixit JESUS discipulis suis: Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me. Et reliqua.

Homilia S. Gregorii Papæ.

Ex Homilia 37. in Evangelia.

Quid est, quod dicimus, Relinquamus & nos? si enim nosmetipsos relinquimus, quo ibimus extra nos? vel quis est, qui vadit, si se deserit? sed aliud sumus per peccatum lapsi, aliud per naturam conditi: aliud quod fecimus, aliud quod facti sumus. Relinquamus nosmetipsos, quales peccando nos fecimus: & maneamus nos-

nosmetipsi, quales per gratiam facti sumus.

℟. Corona aurea super caput ejus * Expressa signo sanctitatis, gloria honoris, & opus fortitudinis. ℣. Quoniam prævenisti eum in benedictionibus dulcedinis, posuisti in capite ejus coronam de lapide pretioso * Expressa signo.

Lectio VIII.

Ecce enim qui superbus fuit, si conversus ad Christum humilis factus est, semetipsum reliquit. Si luxuriosus quisque ad continentiam vitam mutavit, abnegavit utique quod fuit. Si avarus quisque ambire jam desiit, & largiri didicit propria, qui prius aliena rapiebat, proculdubio semetipsum reliquit. Ipse quidem per naturam, sed non est ipse per malitiam. Hinc enim scriptum est: *Verte impios, & non erunt.* Conversi namque impii non erunt, non quia non erunt omnino in essentia, sed scilicet non erunt in impietatis culpa.

℟. Hic est vere Martyr, qui pro Christi nomine sanguinem suum fudit * Qui minas judicum non timuit, nec terrenæ dignitatis gloriam quæsivit, sed ad cœlestia regna pervenit. ℣. Justum deduxit Dominus per vias rectas, & ostendit illi regnum Dei * Qui minas.

Gloria Patri. * Qui minas.

Lectio IX.

Pensemus, quomodo se Paulus abnegaverat, qui dicebat: *Vivo autem non jam ego.* Extinctus namque fuerat sævus ille persecutor, & vivere cœperat pius prædicator. Si enim ipse esset qui prius, pius profecto non esset: sed qui se vivere denegat, dicat: Vivo autem non jam ego. Unde & post sancta verba,

quæ per doctrinam veritatis clamat, protinus subdit: *Vivit vero in me Christus.* Ac si aperte dicat: Ego quidem a me ipso extinctus sum, quia carnaliter non vivo; sed tamen essentialiter mortuus non sum, quia in Christo spiritaliter vivo.

Te Deum laudamus.

Die V. Junii.

SS. Bonifacii Episcopi, & Sociorum Martyrum.

Simplex.

Oratio.

Deus, qui multitudinem populorum beati Bonifacii Martyris tui atque Pontificis, Sociorumque ejus instantia, ad agnitionem tui nominis vocare dignatus es; concede propitius: ut, quorum natalitia colimus, etiam patrocinia sentiamus. Per Dominum.

IN MATUTINO.

Lectio I. de scriptura occurrente.

Lectio II.

Bonifacius in Britannia natus, Exceſtrenſium Abbatum diſciplina excultus, trigeſimo vitæ anno Presbyter ordinatus eſt. Inde Ultrajectum commigrans, per annos tredecim, Friſonum Francorumque gentem in fide diligenter inſtruxit. Quibus laboribus, multisque virtutibus illuſtris, a Gregorio ſecundo Pontifice Romam accerſitus, ab eo Epiſcopus conſecratur, & Bonifacius nominatur, cum antea diceretur Winfridus, ac Moguntinæ Eccleſiæ primus præficitur. Ibi brevi tempore bonus Paſtor, Franconiæ, Bavariæ, Thuringiæ, ac Saxoniæ populos Dominico ovili aggregavit: templa ac monaſteria plurima erexit;

unde

unde & Germaniæ Apostolus fuit appellatus. Mortuo autem sancto Willebrordo Ultrajectensium Episcopo, Moguntiæ successorem suum constituit Lullum, & Ultrajectensem Episcopatum secundus suscepit.

Lectio III.

Qui, postquam decem & sex annis in Frisia denuo laborasset: prædicando iis Evangelium, præsentiens certaminis sui finem instare, secus ripam fluminis Bortue, in confinibus eorum, quos vocant Ostor (Ostergoë) prope oppidum Docteum (seu *Dockzetum*, aut *Doccumum*) exit tentorium, & neophytis indixit diem, quo per Episcopalis manus impositionem, in susceptæ fidei constantia confirmarentur. Cum autem prædictus dies illuxisset, versa vice pro amicis eruperunt inimici, & lictores, quibus armata manu irruentibus, prohibuit suos Bonifacius, ne vim vi repellerent. Convocatis autem Clericis, & aliis, quos plures quam quinquaginta in fidei prædicatione cooperatores habebat, sumtisque Sanctorum reliquiis, quas secum indesinenter habere consueverat, e tentorio processit, & suos ad martyrii palmam invitans, anno salutis septingentesimo, quinquagesimo quarto, die quinta Junii ab infidelibus cum omnibus est oppressus, & martyrio coronatus. Ultrajectini occisorum corpora in Ecclesia, quæ nunc Salvatoris dicitur, sepeliverunt: Sanctum tamen Bonifacium victi precibus beati Lulli, dederunt Moguntinis, qui illum miraculis insignem intulerunt in Ecclesiam Cœnobii Fuldensis.

Te Deum laudamus.

Tempore Paschali, quando

do Lectiones juxta antiquum Misnense privilegium desumendæ sunt ex tertio Nocturno: Homilia S. Augustini Episcopi in Evangelium: Ego sum vitis, vos palmites; *de Communi MM. Tempore Paschali.*

Die XVI. Junii.

Sancti Bennonis Episcopi Confessoris. Patroni Diœcesis.

Duplex II. Classis cum Octava.

Omnia de Communi Confessoris Pontificis præter sequentia.

IN I. VESPERIS.

Hymnus.

Antistitum Decus Chori,
Patrone Benno Misniæ,
Quas Præsul olim rexeras,
Has mitis oras aspice.

Et Saxones, & Sorabos
Doces salutis semitam:
Quæ mentibus nox incubat,
Hanc luce verbi disjicis.

Pastoris exemplo boni
Lupi retundis impetus:
Simulacra vana subruis,
Christoque templa consecras.

Non carceres non vincula
Non ira terret Principum:
Ut causa perstet Numinis,
Leonis instar excubas.

Te mille per miracula
Patrem clientes sentiunt;
Precante Te fons promicat,
Vinumque fundit hydria.

Inambulantem Albis stupet,
Ad jussa ranæ conticent,
Pœnas minaris impio,
Minasque cœlum comprobat.

Quam prædicant tot exteri,
Opem Tuis ne denega;
Cum subditis & Saxones
Tuere semper Principes.

Su-

Supreme Christe Pontifex,
Jugis Tibi sit gloria
Cum Patre, cumque Spiritu
In sempiterna sæcula.
Amen.

℣. Amavit eum Dominus, & ornavit eum.
℟. Stolam gloriæ induit eum.

Ad Magnificat Antiph.

Sacerdos, & Pontifex, & virtutum opifex, Pastor bone in populo, ora pro nobis Dominum.

Oratio.

Deus, qui nos beati Bennonis Pontificis confessione gloriosa circumdas, & protegis: da nobis, & ejus imitatione proficere, & intercessione gaudere. Per Dominum.

AD MATUTINUM.

Hymnus.

Christe, Pastorum caput, atque Princeps,
Præsulis festam venerata lucem,
Debitis supplex tua templa votis
Turba frequentat.

Ille non vano tenuit tremendam
Spiritu sedem, proprio nec ausu:
Sed sacrum jussus, Domino vocante
Sumpsit honorem.

Strenuum bello pugilem superni
Chrismatis pleno tuus unxit intus
Spiritus cornu, posuitque sanctam
Pascere gentem.

Fit gregis pastor, pater atque forma:
Lætus impendit sua, seque, servus
Omnium, curis gravis, omnibusque
Omnia factus.

Pro reis orat, reficit gementes,
Erigit lapsos, tenebrasque pellit;

Fit potens verbo, docet alta, & hostes
Arcet ovili.

Fac, ut illius precibus juvemur,
Christe; fac, Patrem pariterque tecum
Spiritum jugi celebremus hymno
Omne per ævum. Amen.

In Primo Nocturno.
Lectiones: Fidelis sermo, *de Communi Conf. Pont.*

In Secundo Nocturno.
Lectio IV.

Sanctus Benno Hildesima, Saxoniæ civitate illustri stemmate oriundus, quinquennis sancto Bernardo Hildesimensi Episcopo, ejus consanguineo commendatus, ab hoc Wiggero monasterii sancti Michaelis præposito, in Dei timore instruendus, & in studio litterarum erudiendus traditur. Factus adolescens, suadente Episcopo, vitam monasticam amplexus, in eodem cœnobio tanta morum sanctitate enituit, ut mortuo Abbate, monasterii gubernationem in se cogeretur suscipere. At solitudinis & vitæ contemplativæ desiderio, postquam non nisi tres circiter menses in eo munere expleverat, ut illud denuo dimittere sibi liceret, & precibus & lacrymis evicit. Cum enim curis aliis liber uni Deo ac orationi totus vacaret, Henricus Imperator, hujus nominis tertius, in Ecclesia Goslariensi, a se recens exstructa, Congregationem Canonicorum Regularium ex probatissimis & doctissimis quibusque Germanorum constituere cupiens, a Romano Pontifice Leone Nono impetravit, ut Bennonem authoritate sua ab ordine monastico evocatum, novellæ huic Canonicorum Congregationi præficeret,

ret, quo ceteris spiritualis vitæ dux, & Ecclesiasticæ disciplinæ Magister esset.

℟. Inveni David servum meum, oleo sancto meo unxi eum: * Manus enim mea auxiliabitur ei. ℣. Nihil proficiet inimicus in eo, & filius iniquitatis non nocebit ei. * Manus enim mea.

Lectio V.

Annis septendecim in sacro hoc cœtu gubernando sanctissime transactis, cum monasterium quoque Goslariense multorum prædiorum, domorum, censuum, ac propriæ, quæ a parente ei obvenerat, hæreditatis accessione ditavisset, consilio beati Annonis Coloniensis Archi-Episcopi, Ecclesiæ Misnensi, tunc Antistite suo orbatæ, præfectus, ne Episcopatum accipere cogeretur, omnibus quibus potuit, modis, diu restitit; dum denique beati Annonis, qui electionis author fuerat, acri objurgatione prope compulsus, illum in se susciperet. Præsensit autem vir Dei, divino sibi revelante Spiritu, quantis tribulationum fluctibus in Episcopali munere foret exagitandus: id quod eventus haud multo post comprobavit. Imperator quippe Henricus quartus, bello adversus Saxones excitato, sanctum Episcopum officiis boni Pastoris unice intentum, nihilque sinistri suspicantem invadit, Ecclesiæ bona diripit, captumque carcere primum, ac dein durissimo exilio damnat.

℟. Posui adjutorium super potentem, & exaltavi electum de plebe mea: * Manus enim mea auxiliabitur ei. ℣. Inveni David servum meum, oleo sancto meo unxi eum. * Manus enim.

Lectio VI.

Revocatus quidem postmodum ab exilio, & ad Ecclesiam suam redire permissus est; sed mox alia contra illum tempestate concitata, exulare denuo compellitur. Exorto nimirum diro illo & celebri schismate inter Romanum Pontificem Gregorium septimum, & ipsum Imperatorem, nil aliud sancto Præsuli restabat, quam ut vel Dei, ac Ejusdem in terris Vicarii, mandata negligeret, vel Henrici iram & odium in se concitaret. At Ille extrema quævis perpeti potius, quam sanctissimas leges transgredi certus, itineri se dedit, omnibusque, Deo famulum suum protegente, superatis, quæ eidem in via paratæ fuerant, insidiis, Romam delatus, & Ecclesiæ capiti invicta fortitudine adhærens, cum pro Pontificis authoritate, tum pro libertate Ecclesiastica contra Imperatorem ipsum acerrime depugnavit, unusque fere ex omnibus GermaniæEpiscopis,Concilio Romano ea in causa adversus Henricum celebrato interfuit, & subscripsit. Tandem Imperatore viribus fracto, Ecclesiæ suæ redditus, dum eidem instaurandæ, moribusque reformandis indefessam operam impendit; dum Slavis ab erroribus Idololatriæ ad Christianæ fidei puritatem reducendis prædicatione & miraculis totus incumbit; sentiens horam vitæ postremam sibi appropinquare, convocatis Canonicis, eosdem ad mutuam dilectionem, quam Christus suis tantopere commendasset, serio cohortatus, prænuntiata, quæ futura erat, Ecclesiæ pace ac tranquillitate, in Domino obdormivit, sexto Calendas Julii, anno post Chri-

Christum natum millesimo, centesimo sexto; Pontificatus sui quadragesimo. Multis, & ante, & post obitum miraculis clarus, ab Adriano Sexto in Sanctorum numerum relatus est, caussam Canonizationis urgentibus præcipuis Germaniæ Principibus, & maxime Romanorum Imperatore Carolo Quinto.

℟. Iste est, qui ante Deum magnas virtutes operatus est, & omnis terra doctrina ejus repleta est: * Ipse intercedat pro peccatis omnium populorum. ℣. Iste est, qui contempsit vitam mundi, & pervenit ad cœlestia regna. * Ipse intercedat.

Gloria Patri. * Ipse intercedat.

In Tertio Nocturno.

Homilia in Evangelium: Vigilate, quia nescitis. *de Communi Conf. Pont. 2do loco.*

AD LAUDES.

Hymnus.

Christe, decreto Patris institutus
Pontifex summo, tibi, qui fideles,
Quos legis, formas populis regendis
Ipse ministros.

Hunc juvat festo celebrare cantu,
Qui licet magnis meritis abundans,
Flens & invitus, Duce Te, tremendum
Sumpsit honorem.

Noverat, quantis pateat periclis
Ille, qui summos apices adeptus,
Omnium curas, sibi raptus uni,
Sustinet omnes.

Fecerat fervens amor inquietum:
Quo gregis cari pia cura poscit,
Advolat promptus: mora non euntem
Ulla retardat.

Dux

Dux iter, vita præeunte, monstrat;
Comprobat factis sua dicta magnis;
Et domum sanctam bene olente Christi
Implet odore.

Lux erat cæco, columen labanti,
Una spes lapso, misero levamen,
Providus cunctis pater, omnibusque
Omnia factus.

Christe, Pastorum bonus ipse Pastor,
Qui greges pascis proprio cruore,
Fac, ut æternæ subeant opima
Pascua vitæ. Amen.

℣. Justum deduxit Dominus per vias rectas. ℟. Et ostendit illi regnum Dei.

Ad Benedictus Antiph.

Euge serve bone & fidelis, quia in pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam, dicit Dominus.

Oratio.

Deus, qui nos. *ut supra 103.*

IN II. VESPERIS.

Hymnus: Antistitum decus. *ut in I. Vesperis.*

Die XVII. Junii.

Secunda die infra Octavam S. Bennonis.

Semiduplex.

In Primo Nocturno.

Lectiones de scriptura occurrente.

In Secundo Nocturno.

Sermo sancti Joannis Chrysostomi.

Hom. 10. in Epist. 1. ad Tim.

Lectio IV.

Si quis Episcopatum appetit, non principatus ac Dominationis fastu, sed pro cura regiminis, & charitatis affectu, non improbo: bonum quippe desiderat opus.

pus. Episcopatus enim ex eo dicitur, quod omnes inspiciat, cunctaque speculetur. Oportet igitur Episcopum irreprehensibilem esse. Hoc unico verbo genus omne virtutum expressit. Itaque, qui sibi vel levis culpæ conscius est, male profecto facit eam rem appetens, qua indignum se per opera facit. Non enim decet hujusmodi regere, sed potius regi. Eum quippe, qui regendos alios suscipit, tanta decet gloria virtutis excellere, ut instar solis, cæteros veluti stellarum igniculos in suo fulgore obscuret. Debet hujusmodi vitam habere immaculatam, atque compositam, ut omnes in illum, & in ejus vitam, veluti in exemplum aliquod excellens, intueantur.

℟. Inveni David servum meum, oleo sancto meo unxi eum: * Manus enim mea auxiliabitur ei. ℣. Nihil proficiet inimicus in eo, & filius iniquitatis non nocebit ei. * Manus enim.

Lectio V.

Oportet Episcopum vigilantem esse, hoc est, clarissima mentis acie præditum, innumerosque habentem omni ex parte oculos, quibus acutissime cuncta prospiciat; ut qui non tantum sui curam habet, verum etiam reliquorum. Decet esse pervigilem eum, qui ejusmodi est, ac Spiritu vivere, & affectus sui flammam operibus ipsis ostendere, sollicitudine atque industria præcellere; ut die noctuque exercitum & castra perlustret, laboret, & sui officii munus diligentissime impleat; atque omnium curam & sollicitudinem gerat. Pudicum, addit, ornatum, & hospitalitatis amatorem. Ista & in subditis

ple-

plerumque videas. Verum, quoniam oportet eum, & ea, quæ sunt rectoris, habere, idcirco subjunxit: Aptum ad docendum. Hoc quippe a subditis nequaquam exigitur: cæterum illi ante omnia adesse debet, qui hujusmodi suscepit officium.

℟. Posui adjutorium super potentem, & exaltavi electum de plebe mea: * Manus enim mea auxiliabitur ei. ℣. Inveni David servum meum, oleo sancto meo unxi eum. * Manus enim.

Lectio VI.

Idcirco nos elegit Deus, ut simus quasi luminaria, ut veluti fermentum evadamus, ut magistri cæterorum efficiamur, ut veluti Angeli cum hominibus versemur in terris; ut tanquam viri cum infantibus & pueris, quasi spirituales cum animalibus, ut ex contubernio nostro ingentia lucra conquirant; ut semina simus, ut fructum lætissimum afferamus. Nihil opus esset verbis, si hunc in modum vita nostra sanctitatis luce fulgeret. Nihil magistris opus esset, si virtutis probos actus præferremus. Nemo profecto gentilis esset, si ipsi, ut oportet, Christiani esse curaremus; si Dei monitis ac scitis obtemperaremus, si injurias perpessi vicem non referremus, si maledictis lacessiti benediceremus, si pro malis bona redderemus. Nemo esset ita fera bellua, ut non statim ad cultum veræ religionis accurreret, si videret hæc ab omnibus fieri. Atque ut discas ita esse, unus Paulus, qui talis fuit, tot populos attraxit ad Dei notitiam. Si omnes essemus hujusmodi, quot terrarum orbes & ipsi attrahere possemus?

℟. Iste

℟. Iſte eſt, qui ante Deum magnas virtutes operatus eſt, & omnis terra doctrina ejus repleta eſt: * Ipſe intercedat pro peccatis omnium populorum. ℣. Iſte eſt, qui contempſit vitam mundi, & pervenit ad cœleſtia regna. * Ipſe intercedat.

Gloria Patri. * Ipſe intercedat.

In Tertio Nocturno.

Lectio ſancti Evangelii ſecundum Matthæum.

Lectio VII. *Cap.* 24.

In illo tempore: Dixit JESUS diſcipulis ſuis: Vigilate, quia neſcitis, qua hora Dominus veſter venturus ſit. Et reliqua.

Homilia ſancti Fulgentii Epiſcopi.

Sermone de Confeſſoribus.

Dominicus ſermo, quem debemus omnes non ſolum ſtudioſe, verum etiam ſapienter audire, cui nos oportet humiliter ac delectabiliter obedire, moderationis ſuæ tenens ubique temperiem, ut nec ovibus deſint pabula, nec paſtoribus alimenta: quædam ſpecialiter ſolis præcipit nobis, quædam vero generaliter & nobis, & vobis. Nobis namque (id eſt ſervis, quos ille paterfamilias, rerum omnium Dominus, ad hoc in ſua magna domo conſtituit, ut populo ejus verbum gratiæ miniſtremus,) ſpecialiter injungitur ſanctæ prædicationis officium: generabiliter vero & nobis, & vobis ſalutaris indicitur obedientia mandatorum.

℟. Amavit eum Dominus, & ornavit eum, ſtolam gloriæ induit eum. * Et ad portas Paradiſi coronavit eum. ℣. Induit eum Dominus loricam fidei, & ornavit eum. * Et ad portas.

Lectio

Lectio VIII.

Servorum igitur, quos populo suo præposuit Dominus, specialiter volens officium demonstrare, ait, quod ex Evangelio modo audivimus: *Quis, putas, est fidelis dispensator, & prudens, quem constituit Dominus super familiam suam, ut det illis in tempore tritici mensuram? Beatus ille servus, quem cum venerit Dominus, invenerit ita facientem.* Quis est iste Dominus, fratres? Christus sine dubio, qui suis discipulis ait: *Vos vocatis me magister & Domine, & bene dicitis: sum etenim.*

℟. Sint lumbi vestri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus vestris: * Et vos similes hominibus expectantibus Dominum suum, quando revertatur a nuptiis. ℣. Vigilate ergo, quia nescitis, qua hora Dominus vester venturus sit. * Et vos similes. Gloria Patri. * Et vos.

Lectio IX.

Quæ est etiam hujus Domini familia? Nimirum illa est, quam ipse Dominus de manu inimici redemit, & suo dominio mancipavit. Hæc familia est sancta Catholica Ecclesia, quæ per orbem terræ copiosa fertilitate diffunditur, & redemptam se pretioso sui Domini sanguine gloriatur. *Filius enim hominis*, sicut ipse ait, *non venit ministrari, sed ministrare, & dare animam suam redemptionem pro multis.* Ipse est etiam pastor bonus, qui animam suam posuit pro ovibus suis. Grex ergo boni pastoris, ipsa est familia Redemptoris.

Te Deum laudamus.

In II. Vesperis Commemorat. SS. Marci & Marcelliani MM.

Die

Die XVIII. Junii.

Tertia die infra Octavam S. Bennonis.

Semiduplex.

In Primo Nocturno.

Lectiones de scriptura occurrente.

In Secundo Nocturno.

Sermo sancti Bernardi Abbatis.

Tract. de Offic. Episc. ad Henric. Senon. Et lib. 4. de Consid. c. 2.

Lectio IV.

Fidelis Pontifex, qui bona quælibet per manus suas transeuntia, sive divina beneficia ad homines, sive hominum vota ad Deum, columbino intùens oculo, nihil sibi retentat ex omnibus. Nec populi requirit datum, sed lucrum; nec Dei gloriam usurpat sibi. Acceptum talentum non ligat in sudario, sed partitur nummulariis, a quibus & usuras recipit, non sibi, sed Domino. Non habet foveam ut vulpes, non tanquam volucres nidum, non loculos quomodo Judas, non denique, sicut nec Maria, locum in diversorio.

℟. Inveni David servum meum, oleo sancto meo unxi eum: * Manus enim mea auxiliabitur ei. ℣. Nihil proficiet inimicus in eo, & filius iniquitatis non nocebit ei. * Manus enim.

Lectio V.

Imitatur profecto illum, qui non habebat, ubi reclinaret caput; factus in præsentiarum tanquam vas perditum; quandoque procul dubio vas futurum in honorem, & non in contumeliam. Denique perdit animam suam in hoc mundo, ut in vitam æternam custodiat eam. Hoc tanto puritatis intimæ bono gloriari non potest veraciter, nisi qui

extrinsecus gloriolas perfecte respuerit. Nec enim pure valet Dei vel proximi quærere lucra, quia propria non contempserit. Clamabitur hoc insuetum; nam justum negari non poterit. Ego vero ne insuetum quidem assenserim. Nempe assuetum fuisse scio, ac per hoc in dissuetum potuisse venire, sed non redire in insuetum.

℟. Posui adjutorium super potentem, & exaltavi electum de plebe mea: * Manus enim mea auxiliabitur ei. ℣. Inveni David servum meum, oleo sancto meo unxi eum. * Manus enim.

Lectio VI.

An vero assuetum quis neget, quod constat non modo factum, sed etiam aliquamdiu factitatum? Quid illud sit, dicam. Fuerunt, qui se totos ovibus pascendis exponerent, pastoris opere & nomine gloriantes; nihil sibi reputantes indignum, nisi quod saluti ovium obviare putarent; non quærentes quæ sua sunt, sed impendentes. Impendere curam, impendere substantiam, impendere & seipsos. Unde unus illorum: Et ego, ait, superimpendar ipse pro animabus vestris. Et tanquam dicerent: Non venimus ministrari, sed ministrare; ponebant, quoties oportuisset, sine sumptu Evangelium. Unus erat de subditis quæstus, una pompa, unaque voluptas, si quomodo eos possent parare Domino plebem perfectam. Id omnimodis satagebant, etiam in multa contritione cordis & corporis, in labore, & ærumna, in fame & siti, in frigore & nuditate. Longe in aliud mutata sunt studia: utinam non in pejus!

℟. Iste est, qui ante Deum

Deum magnas virtutes operatus est, & omnis terra doctrina ejus repleta est: * Ipse intercedat pro peccatis omnium populorum. ℣. Iste est, qui contempsit vitam mundi, & pervenit ad cœlestia regna. * Ipse intercedat.

Gloria Patri. * Ipse intercedat.

In Tertio Nocturno.

Lectio sancti Evangelii secundum Matthæum.

Lectio VII. *Cap.* 24.

In illo tempore: Dixit JESUS discipulis suis; Vigilate, quia nescitis, qua hora Dominus vester venturus sit. Et reliqua.

De Homilia sancti Fulgentii Episcopi.

Unde supra.

Dispensator vero, quis sit, quem oportet esse fidelem pariter & prudentem; Paulus nobis ostendit Apostolus, qui de se suisque sociis loquens ait: *Sic nos existimet homo, ut ministros Christi, & dispensatores mysteriorum Dei.* Ne quis autem vestrum solos Apostolos dispensatores factos existimet, neglectoque militiæ spiritalis officio, servus piger, infideliter, imprudenterque dormitet, ipse beatus Apostolus Episcopos quoque dispensatores esse ostendens, ait: *Oportet enim Episcopum sine crimine esse, sicut Dei dispensatorem.*

℟. Amavit eum Dominus, & ornavit eum, stolam gloriæ induit eum, * Et ad portas paradisi coronavit eum. ℣. Induit eum Dominus loricam fidei, & ornavit eum. * Et ad portas.

Lectio VIII.

Servi autem patrisfamilias sumus, dispensatores Domini sumus, mensuram tritici, quam vobis erogemus, accepi-

mus. Quæ vero sit ista mensura tritici, si quæramus, ipsam quoque nobis beatus Paulus Apostolus ostendit, dicens: *Unicuique sicut Deus divisit mensuram fidei.* Quam ergo mensuram tritici Christus nuncupat, ipsam mensuram fidei Paulus appellat: ut agnoscamus, non aliud esse spiritale triticum, quam Christianæ fidei venerabile Sacramentum.

℟. Sint lumbi vestri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus vestris: * Et vos similes hominibus expectantibus Dominum suum, quando revertatur a nuptiis. ℣. Vigilate ergo, quia nescitis, qua hora Dominus vester venturus sit. * Et vos.

Gloria Patri. * Et vos.

Lectio IX.

De SS. Marco, & Marcelliano MM. ut in Breviario.

In Laudibus de iisdem commem.

In II. Vesperis a Capitulo De sancta Juliana V. ut in Breviario. Commem.

1. Octavæ.

2. SS. Gervasii, & Protasii MM. ut in Romano.

Die XIX. Junii.

In Festo sanctæ Julianæ de Falconeriis, Virginis.

Semiduplex.

Omnia ut in Romano, cum Commemoratione Octavæ, & SS. Gervasii, & Protasii MM.

In II. Vesp. a Capitulo de Die infra Octavam S. Bennonis Episc. C. Commem. 1. præced. 2. S. Silverii Papæ M.

Die XX. Junii.

Quinta die infra Octavam S. Bennonis Episc. Conf.

Semiduplex.

In

In Primo Nocturno.

Lectiones de scriptura occurrente.

In Secundo Nocturno.

Ex Commonitorio primo sancti Vincentii Lirinensis Presbyteri.

Cap. 27. 28. & 32.

Lectio IV.

O Timothee, depositum custodi, devitans profanas vocum novitates. Quid est, Depositum custodi? Custodi, inquit, propter fures, propter inimicos; ne dormientibus hominibus superseminent zizania super illud tritici bonum semen, quod seminaverat Filius hominis in agro suo. Depositum, inquit, custodi. Quid est, Depositum? Id est, quod tibi creditum est, non quod a te inventum: quod accepisti, non quod excogitasti: rem, non ingenii, sed doctrinæ; non usurpationis privatæ, sed publicæ traditionis: rem ad te perductam, non a te prolatam: in qua non auctor debes esse, sed custos; non institutor, sed Sectator; non ducens, sed sequens. Depositum, inquit, custodi. Catholicæ fidei talentum, inviolatum, illibatum conserva. Quod tibi creditum est, hoc penes te maneat, hoc a te tradatur. Aurum accepisti, aurum redde: nolo mihi pro aliis alia subjicias.

℟. Inveni David servum meum, oleo sancto meo unxi eum: * Manus enim mea auxiliabitur ei. ℣. Nihil proficiet inimicus in eo, & filius iniquitatis non nocebit ei. * Manus enim.

Lectio V.

Intelligatur, te exponente, illustrius, quod antea obscurius credebatur. Per te posteritas intellectum gratuletur, quod ante vetustas non

intellectum venerabatur: eadem tamen, quæ didicisti, doce; ut cum dicas nove, non dicas nova. Christi enim Ecclesia, sedula & cauta depositorum apud se dogmatum custos, nihil in his unquam permutat, nihil minuit, nihil addit; non amputat necessaria, non apponit superflua; non amittit sua, non usurpat aliena: sed omni industria hoc unum studet, ut vetera fideliter, sapienterque tractando, si qua illa sunt antiquitus informata & inchoata, accuret, & poliat; si qua jam expressa & enucleata, consolidet, firmet; si qua jam confirmata, & definita, custodiat.

℟. Posui adjutorium super potentem, & exaltavi electum de plebe mea: * Manus enim mea auxiliabitur ei. ℣. Inveni David servum meum, oleo sancto meo unxi eum. * Manus enim.

Lectio VI.

Sed ad Apostolum redeamus. Depositum custodi, devitans profanas vocum novitates, id est, dogmatum, rerum, sententiarum novitates, quæ sunt vetustati, quæ antiquitati contrariæ. Quibus cunctis satis evidenter perspicueque monstratur, hoc apud omnes fere hæreses quasi solemne esse, ac legitimum, ut semper profanis novitatibus gaudeant, antiquitatis scita fastidiant, & per oppositiones falsi nominis scientiæ a fide naufragent: contra vero, Catholicorum hoc fore proprium, depositа sanctorum Patrum, & commissa servare, & damnare profanas novitates; & sicut dixit, atque iterum prædixit Apostolus: Si quis annuntiaverit, præterquam quod acceptum est, anathema sit. ℟.

℟. Iſte eſt, qui ante Deum magnas virtutes operatus eſt, & omnis terra doctrina ejus repleta eſt: * Ipſe intercedat pro peccatis omnium populorum. ℣. Iſte eſt, qui contempſit vitam mundi, & pervenit ad cœleſtia regna. * Ipſe intercedat.

Gloria Patri. * Ipſe intercedat.

In Tertio Nocturno.

Lectio ſancti Evangelii ſecundum Matthæum.

Lectio VII. *Cap.* 24.

In illo tempore: Dixit JESUS diſcipulis ſuis: Vigilate, quia neſcitis, qua hora Dominus veſter venturus ſit. Et reliqua.

Homilia ſancti Joannis Chryſoſtomi.

Ex Homil. 78. *in Matth. ante medium.*

Propterea hæc dicit Dominus, diſcipulis, ut vigilent, ut jugiter parati ſint, quia qua non exiſtimant hora, venturus eſt. Solicitos igitur facit & curioſos, ne unquam virtutem negligant. Tale quid autem eſt, quod dicitur: Si præſcirent homines, quando morituri ſint, diligentiam ſuam circa illam horam oſtenderent. Ne igitur in illo ſolummodo tempore, ſed continue diligentes ſint, nec generalem, nec ſingularem horam prædicit, ut ſemper expectando, ſemper vigilent: hac enim ratione terminum vitæ uniuscujusque occuluit.

℟. Amavit eum Dominus, & ornavit eum: ſtolam gloriæ induit eum, * Et ad portas paradiſi coronavit eum. ℣. Induit eum Dominus loricam fidei, & ornavit eum. * Et ad portas.

Lectio VIII.

Deinde liquido adeo ut nunquam liquidius, Dominum ſe ipſum appellavit. Hæc autem etiam

tiam ad erubescentiam desidiæ mihi dicta videntur: majorem enim diligentiam pecuniarum conservandarum habent furem expectantes, quam vos salutis animæ. Vigilant enim tunc, ne aliquid sibi surripiatur: vos vero, quamvis certo sciatis venturum Dominum, non perseveratis tamen, neque ita vigilatis, ut possitis non impræparati ex hac vita discedere. Qua propter cum pernicie dormientium dies ille venturus est.

℟. Sint lumbi vestri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus vestris: * Et vos similes hominibus expectantibus Dominum suum, quando revertatur a nuptiis. ℣. Vigilate ergo, quia nescitis, qua hora Dominus vester venturus sit. * Et vos similes.

Gloria Patri. * Et vos similes.

IX. Lectio, e duabus una,

De S. Silverio Papa Martyre & in Laudibus de eodem commem.

I. Vesperæ de sequenti, cum Commemoratione Octavæ.

Die XXI. Junii.

In Festo S. Aloysii Gonzagæ Conf.

Duplex.

Omnia ut in Romano, cum comm. Octavæ.

In II. Vesperis a Capitulo de sequenti. Commemorationes ut infra.

Die XXII. Junii.

Sanctorum decem millium Militum Martyrum.

Duplex.

Omnia de Communi plurimorum Martyrum, præter ea, quæ sequuntur.

Oratio.

Deus, qui ad imitandum Passionis tuæ exemplum, beatum Hermo-

molaum, Alexandrum, Marcum, & cum eis decem millia Martyrum crucis supplicium subire voluisti; tribue, quæsumus: ut, qui eorum passionem veneramur in terris, Passionis tuæ remedia consequi mereamur in Cœlis. Qui vivis.

Comm. 1. præc. 2. Comm. Oct.

℣. Amavit eum Dominus.

3. Comm. S. Paulini Ep. Conf.

Antiph. Sacerdos, & Pontifex.

℣. Eglegit eum Dominus Sacerdotem sibi. ℟. Ad sacrificandum ei hostiam laudis.

In Primo Nocturno.

Lectiones de scriptura occurrente.

In Secundo Nocturno.

Lectio IV.

Decimo calendas Julias passi sunt decem millia Martyrum; inter quos præcelsi meriti nominantur duo, Marcus & Alexander. Hi omnes uno die pro Christi nomine interempti sunt sub Adriano Imperatore, & aliis sex regibus, qui ad illum in belli societatem accesserunt. Hi cum ab imperatore ad sacrificandum idolis compellerentur: responderunt, illicitum esse sacrificium offerre surdis, & mutis idolis; sed semetipsos offerre in hostiam JESU CHRISTO, Deo vero & vivo, pro nobis passo plurima, & tandem crucifixo.

℟. Sancti tui Domine mirabile consecuti sunt iter, servientes præceptis tuis, ut invenirentur illæsi in aquis validis: * Terra apparuit arida: & in mari rubro via sine impedimento. ℣. Quoniam percussit petram, & fluxerunt aquæ, & torrentes inundaverunt. * Terra apparuit.

Lectio V.

Imperator his auditis, jussit eos torqueri, & iisdem pœnis affici, quas Christum toleraſſe prædicabant; & ad extremum, a reliquo triginta millium exercitu crucifigi. Quæ omnia illi forti animo & fide firmiſſima pro Chriſto ſuſtinuerunt. Inter eos crucifixus eſt ſanctus Hermolaus Archi-Epiſcopus, qui eosdem ſanctos Martyres baptizaverat. Paſſi autem ſunt in monte Ararath prope Alexandriam Armeniæ, hora ſexta, ac eadem, qua Chriſtus in cruce patiebatur.

℟. Verbera carnificum non timuerunt ſancti Dei, morientes pro Chriſti nomine: * Ut hæredes fierent in domo Domini. ℣. Tradiderunt corpora ſua propter Deum ad ſupplicia. * Ut hæredes.

De Sermone ſancti Gregorii Papæ.

Homil. 32. in Evang. prope finem.

Lectio VI.

Ad ſanctorum Martyrum corpora conſiſtimus, Fratres mei. Numquid iſti carnem ſuam in mortem darent, niſi eis certiſſime conſtitiſſet, eſſe vitam, pro qua mori debuiſſent? Et ecce, qui ita crediderunt, miraculis coruſcant. Ad extincta namque eorum corpora, viventes ægri veniunt, & ſanantur; perjuri veniunt, & a dæmonio vexantur; dæmoniaci veniunt, & liberantur. Quomodo ergo vivunt illic, ubi vivunt; ſi in tot miraculis vivunt hic, ubi mortui ſunt?

℟. Tanquam aurum in fornace probavit electos Dominus, & quaſi holocauſti hoſtiam accepit illos: & in tempore erit reſpectus illorum: * Quoniam donum & pax

pax est electis Dei. ℣. Qui confidunt in illum, intelligent veritatem: & fideles in dilectione acquiescent illi. * Quoniam.

Gloria Patri. * Quoniam donum.

In Tertio Nocturno.

Lectio sancti Evangelii secundum Matthæum.

Lectio VII. *Cap.* 5.

In illo tempore: Videns JESUS turbas ascendit in montem; & cum sedisset, accesserunt ad eum discipuli ejus. Et reliqua.

Homilia sancti Joannis Chrysostomi.

Homil. 15. *in cap.* 5. *Matthæi post initium.*

Qui sunt pauperes spiritu? Humiles mente, atque contriti spiritu. Spiritum hic enim posuit pro anima & voluntate. Quia enim sunt humiles plurimi non sua sponte ducti, sed necessitate rerum coacti, relinquens hujusmodi (neque enim hoc inter laudanda numerandum est) eos, qui se humiliant, & comprimunt voluntate, primos beatos appellat. Et quam ob causam non humiles voluit appellare, sed *pauperes?* Quia hoc illo utique præstantius est. Siquidem illos hic humiles memorat, qui Dei præcepta metuunt, atque etiam contremiscunt. Quod per Esaiam Prophetam Deus amanter excipiens dicebat: *Ad quem respiciam nisi ad humilem & quietum, & trementem sermones meos?* Multi siquidem sunt humilitatis modi: & hic quidem est humilis mediocriter, alter vero cumulate.

℟. Propter testamentum Domini, & leges paternas, sancti Dei perstiterunt in amore fraternitatis: * Quia unus fuit

fuit semper spiritus in eis, & una fides. ℣. Ecce quam bonum, & quam jucundum habitare fratres in unum. * Quia unus fuit.

Lectio VIII.

Hinc igitur unde maxime oportebat, exorsus progreditur ad mandatum aliud, quod videtur contra totius mundi pugnare sententiam. Cum enim omnes putent gaudentes beatos esse ac felices, eos vero, qui in mœrore, paupertie, luctuque versantur, miseros existiment: hos ipsos pro illis appellat beatos, dicens: *Beati qui lugent.* Et certe justi infelices ab hominibus judicantur: sed idcirco ante doctrinam signa præmisit, ut facillime crederent talia decreta ferenti. Verum hic quoque non simpliciter lugentes posuit, sed propter peccata lugentes. Quippe cum illud aliud etiam vehementer vetetur, de secularium scilicet rerum dispendiis: quod significabat & Paulus dicendo: *Quoniam seculi quidem tristitia mortem operatur: quæ autem secundum Deum est tristitia, pœnitentiam in salutem stabilem operatur.* Istos hic igitur beatos vocat, qui talem voluerunt habere tristitiam. Et non simpliciter posuit tristes, sed omnino cum cumulo: ideoque non dixit, qui mœrent, sed *qui lugent.* Siquidem præceptum istud totius Philosophiæ magisterium est.

℟. Sancti mei, qui in carne positi, certamen habuistis: * Mercedem laboris ego reddam vobis. ℣. Venite benedicti Patris mei, percipite regnum. * Mercedem laboris.

Gloria Patri. * Mercedem laboris.

IX. Lectio de S. Paulino Episcopo & Confessore.

Si

Si vero festum SS. Martyrum transferri contigerit, 9. Lectio erit, ut sequitur.

Lectio IX.

Deinde præmium illis aptissimum ponens: *Quoniam ipsi*, inquit, consolabuntur. Ubi vero, dic mihi, consolabuntur? Et hic profecto, & quod est amplius, in futuro. Quia enim præceptum ipsum valde videbatur onerosum, ac vehementer molestum, hoc se promisit daturum, quod illud quam maxime leve possit efficere: itaque si velis consolari, luge. Neque putes ænigma esse, quod dixi. Quando enim consolatur Deus, etiamsi millia mœrorum irruant, cunctis superior existis. Siquidem ipsis doloribus præmia Deus ampliora constituit: quod certe hoc ipso quoque designat loco, beatitudinem lugentibus deputando, non secundum dignitatem operum, sed juxta suum erga genus humanum amorem: quod quidem non provenit ex operis nostri dignitate, sed ex ipsius benignitate.

Te Deum laudamus.

In Laudibus comm. 1. Octavæ.

Antiph. Euge serve bone.

℣. Justum deduxit.

2. Comm. S. Paulini Episc. & Conf.

Antiph. Sacerdos & Pontifex.

℣. Amavit eum Dominus.

In II. Vesperis a Capitulo
De die Octava S. Bennonis
Ep. & Confessoris.
cum Commem. præced.

Die XXIII. Junii.

Octava S. Bennonis Ep. & Conf.

Duplex.

Ut in Festo, & Communi C. P.

Ad

Ad Vesperas, Hymnus proprius, ut in I. Vesp. festi.

In Primo Nocturno.

Lectiones de scriptura occurrente.

In Secundo Nocturno.

Sermo sancti Bernardi Abbatis.

in Vigil. SS. Petri & Pauli.

Lectio IV.

Tria sunt, quæ in festivitatibus Sanctorum vigilanter considerare debemus: auxilium sancti, exemplum ejus, confusionem nostram. Auxilium ejus; quia qui potens in terra fuit, potentior est in Cœlis ante faciem Domini Dei sui. Si enim, dum hic viveret, misertus est peccatoribus, & oravit pro eis; nunc tanto amplius, quanto verius agnoscit miserias nostras, orat pro nobis Patrem: quia beata illa patria charitatem ejus non immutavit, sed augmentavit; neque enim quia impassibilis omnino, ideo & incompassibilis factus est.

℟. Inveni David servum meum, oleo sancto meo unxi eum: * Manus enim mea auxiliabitur ei. ℣. Nihil proficiet inimicus in eo, & filius iniquitatis non nocebit ei. * Manus enim.

Lectio V.

Debemus etiam attendere exemplum ejus; quia quamdiu in terris visus est, & cum hominibus conversatus est, non declinavit, neque ad dexteram neque ad sinistram; sed viam regiam tenuit, donec veniret ad illum, qui dicit: Ego sum via, veritas, & vita. Intuemini humilitatem operum ejus, auctoritatem verborum ejus, & tunc videbitis, quomodo tam verbo quam exemplo luxerit inter homines: qualia nobis vestigia reliquerit, ut ambulemus per ea, & non eremus

remus in eis. Vere juxta Prophetam, *semita justi recta est; rectus callis justi ad ambulandum.*

℟. Posui adjutorium super potentem, & exaltavi electum de plebe mea: * Manus enim mea auxiliabitur ei. ℣. Inveni David servum meum, oleo sancto meo unxi eum * Manus enim mea.

Lectio VI.

Diligentiori intuitu, in festivitatibus Sanctorum confusionem nostram inspiciamus; quia homo ille similis nobis fuit passibilis, ex eodem luto formatus, ex quo & nos. Quid ergo est, quod non solum difficile, sed & impossibile credimus, ut faciamus opera quæ fecit? Confundamur, fratres, & contremiscamus. Homines isti fuerunt, qui præcesserunt nos, qui tam mirabiliter processerunt per vias vitæ, ut vix eos homines fuisse credamus. Sic ergo & gaudere, & confundi debemus: gaudere, quia patronos præmisimus; confundi, quia vix eos respicere audemus, ne dicam imitari. Oremus ergo eos, ut ipsi propitium nobis reddant amicum suum, judicem nostrum, qui est Deus benedictus in sæcula. Amen.

℟. Iste est, qui ante Deum magnas virtutes operatus est, & omnis terra doctrina ejus repleta est; * Ipse intercedat pro peccatis omnium populorum. ℣. Iste est, qui contempsit vitam mundi, & pervenit ad cœlestia regna. * Ipse intercedat. Gloria Patri. * Ipse intercedat.

In Tertio Nocturno.

Lectio sancti Evangelii secundum Matthæum.

Lectio VII. *Cap.* 24.

In illo tempore: Dixit JESUS discipulis suis: Vigi-

Vigilate, quia nescitis, qua hora Dominus vester venturus sit. Et reliqua.

Homilia sancti Ambrosii Episcopi.

De fide, lib. 5. cap. 8.

Quærimus, qua ratione Dominus designare momenta noluerit. Si quæramus, non ignorantiæ inveniemus esse, sed sapientiæ. Nobis enim scire non proderat, ut dum certa futuri judicii momenta nescimus, semper tanquam in excubiis constituti, & in quadam virtutis specula collocati, peccandi consuetudinem declinemus, ne nos inter vitia dies Domini deprehendat. Non enim prodest scire, sed metuere quod futurum est; scriptum est enim: Noli alta sapere, sed time.

℟. Amavit eum Dominus, & ornavit eum: stolam gloriæ induit eum, * Et ad portas paradisi coronavit eum. ℣. Induit eum Dominus loricam fidei, & ornavit eum. * Et ad portas.

Lectio VIII.

Nam si diem designasset expresse, uni ætati hominum, quæ proxima erat judicio: videretur disciplinam præscripsisse vivendi superioris temporis; aut justus esset remissior, aut peccator securior. Namque adulter, nisi quotidianam pœnam metuat, non potest adulterandi cupiditatem desinere. Plerumque enim, quibus incentivum est impunitas, timor tædium est. Ideo ergo dixi, quod scire non proderat; imo proderat ignorare, ut ignorantes timeremus, ut observantes emendaremur, sicut ipse dixit: *Estote parati, quia nescitis, qua hora filius hominis venturus est.* Namque miles,

les, nisi bellum in manibus esse cognoscat: prætendere non novit in castris.

℟. Sint lumbi vestri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus vestris: * Et vos similes hominibus expectantibus Dominum suum, quando revertatur a nuptiis. ℣. Vigilate ergo, quia nescitis, qua hora Dominus vester venturus sit. * Et vos similes.

Gloria Patri. * Et vos similes.

IX. Lectio, & in Laudibus comm. Vigiliæ S. Joannis Baptistæ.

Die XXV. Junii.

Secunda die infra Octavam Sancti Joannis Baptistæ.

Semiduplex.

In Laudibus pro Commemoratione Sancti Elogii Episc. Confessoris.

Antiph. Euge serve bone & fidelis, quia in pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam, dicit Dominus.

℣. Justum deduxit Dominus per vias rectas. ℟. Et ostendit illi regnum Dei.

Oratio.

Deus, qui largifluo bonitatis consilio Ecclesiam tuam beati Elogii Confessoris tui atque Pontificis, præclaræ vitæ meritis decorasti, & glorioſis miraculis lætificasti; concede propitius nobis famulis tuis: ut & ipsius in melius reformemur exemplis, & ab omnibus ejus patrocinio protegamur adversis. Per Dominum.

JULIUS.

Die II. Julii.

In Festo VISITATIONIS B. MARIÆ Virginis.

Dupl. I. Classis cum Octava.

Omnia ut in Breviario Romano.

Octava lectio dividitur in duas, ut nona lectio sit ab illis verbis: Non enim sola. *Et nihil fit de SS. Processo, & Sociis Martyribus.*

Die III. Julii.

Secunda die infra Octavam Visitationis B. V. M.

Semiduplex.

In Primo Nocturno.

Lectiones de Scriptura occurrente.

In Secundo Nocturno.

Sermo sancti Augustini Episcopi.

Serm. 18. de Sanctis, qui est 2. de Annunciatione Dominica; in medio.

Lectio IV.

Exultat Maria, & Matrem se esse læta miratur, & de Spiritu Sancto se protulisse gaudet; nec, quia peperit innupta, terretur; sed quia genuerit, cum exultatione miratur. O fœmina super fœminas benedicta! Quæ virum omnino non novit, & virum suo utero circumdedit! Circumdat virum Maria Angelo fidem dando, quia Eva perdidit virum serpenti consentiendo. O felix obedientia! O insignis gratia! Quæ dum fidem humiliter dedit, cœli in se opificem corporavit. Hinc promeruit gloriam, quam ipsa postmodum auxit. *Ecce*, ait, *ex hoc beatam me dicent omnes generationes.*

℟. Ecce iste venit saliens in montibus, transiliens colles: * Similis est dilectus meus capreæ, hinnuloque cervorum. ℣. Exultavit ut gigas ad currendam viam, a summo cœlo egressio ejus. * Similis est.

Lectio V.

O beata Maria! Quis tibi digne valeat jura

ra gratiarum ac laudum præconia rependere, quæ singulari tuo assensu, mundo succurristi perdito? Quas tibi laudes fragilitas humani generis persolvat, quæ solo tuo commercio recuperandi aditum invenit? Accipe itaque quascunque exiles, quascunque meritis tuis impares gratiarum actiones: & cum susceperis vota, culpas nostras orando excusa. Admitte nostras preces inter sacrarium exauditionis, & reporta nobis antidotum reconciliationis.

℟. Congratulamini mihi omnes, qui diligitis Dominum, quia cum essem parvula placui Altissimo. * Et de meis visceribus genui Deum, & hominem. ℣. Beatam me dicent omnes generationes, quia ancillam humilem respexit Deus. * Et de meis.

Lectio VI.

Sit per te excusabile, quod per te ingerimus: fiat impetrabile, quod fida mente poscimus. Accipe, quod offerimus; redona, quod rogamus; excusa, quod timemus; quia tu es spes unica peccatorum. Per te speramus delictorum veniam, & in te beatissima, nostrorum est expectatio præmiorum. Sancta Maria, succurre miseris, juva pusillanimes, refove flebiles: ora pro populo, interveni pro Clero, intercede pro devoto fœmineo sexu: sentiant omnes tuum juvamen, quicumque celebrant tuam sanctam Visitationem.

℟. Beata, quæ credidisti, quoniam perficientur in te, quæ dicta sunt tibi a Domino. Et ait Maria: * Magnificat anima mea Dominum. ℣. Venite, & audite, & narrabo, quanta fecit Deus animæ meæ. * Magnificat.

Gloria Patri. *Magnificat anima.

In Tertio Nocturno.

Lectio sancti Evangelii secundum Lucam.

Lectio VII. *Cap.* 1.

In illo tempore: Exurgens Maria, abiit in montana cum festinatione in civitatem Juda. Et intravit in domum Zachariæ, & salutavit Elisabeth. Et reliqua.

Homilia sancti Ambrosii Episcopi.

Lib. 2. in Lucam, Cap. 1.

Morale est omnibus, ut, qui fidem exigunt, fidem adstruant. Et ideo Angelus, cum abscondita nuntiaret, ut fidem adstrueret exemplo, senioris feminæ, sterilisque conceptum Virgini Mariæ nuntiavit: ut possibile Deo omne quod ei placuerit, assereret. Ubi audivit hoc Maria, non quasi incredula de oraculo, nec quasi incerta de nuntio, nec quasi dubitans de exemplo, sed quasi læta pro voto, religiosa pro officio, festina pro gaudio, in montana perexit. Quo enim jam Deo plena, nisi ad Superiora cum festinatione contenderet? Nescit tarda molimina sancti Spiritus gratia.

℟. Beatam me dicent omnes generationes: * Quia fecit mihi Dominus magna, qui potens est, & sanctum nomen ejus. ℣. Et misericordia ejus a progenie in progenies timentibus eum. * Quia fecit.

Lectio VIII.

Discite & vos sanctæ mulieres sedulitatem, quam prægnantibus debeatis exhibere cognatis. Mariam, quæ ante sola in intimis penetralibus versabatur, non a publico virginitatis pudor, non ab studio asperitas montium, non ab officio prolixitas itineris

neris retardavit. In montana Virgo cum festinatione, Virgo officii memor, injuriæ immemor; affectu urgente, non sexu, relicta perrexit domo. Discite virgines non circumcursare per alienas ædes, non demorari in plateis, non aliquos in publico miscere sermones: Maria in domo sera, festina in publico, mansit apud cognatam suam tribus mensibus.

℟. Felix namque es sacra Virgo Maria, & omni laude dignissima: * Quia ex te ortus est sol justitiæ, * Christus Deus noster. ℣. Ora pro populo, interveni pro Clero, intercede pro devoto femineo sexu: sentiant omnes tuum juvamen, quicumque celebrant tuam sanctam Visitationem. * Quia ex te.

Gloria Patri. * Christus.

Lectio IX.

Didicistis virgines pudorem Mariæ, discite humilitatem. Venit propinqua ad proximam, junior ad seniorem: nec solum venit, sed etiam prior salutavit. Decet enim, ut quanto castior virgo, tanto humilior sit. Noverit deferre senioribus: sit magistra humilitatis, in qua est professio castitatis. Est & causa pietatis, est etiam norma doctrinæ. Contuendum est enim, quia superior venit ad inferiorem, ut inferior adjuvetur: Maria ad Elisabeth, Christus ad Joannem.

Te Deum laudamus.

In II. Vesperis

1. Comm. SS. Apostolor. Petri, & Pauli.

2. S. Udalrici Ep. Conf.

Antiph. Sacerdos, & Pontifex.

℣. Amavit eum.

Oratio.

Omnipotens sempiter-

ne Deus: qui nos annuo recursu depositionis sancti Udalrici Confessoris tui atque Pontificis lætificas; ejus suffragantibus meritis concede: ut ab imminentibus periculis liberemur, & æternis gaudiis perfrui mereamur. Per Dominum nostrum.

Die IV. Julii.

Tertia die infra Octavam Visitationis B. V. M.

Semiduplex.

In Primo Nocturno.

Lectiones de scriptura occurrente.

In Secundo Nocturno.

De Sermone S. Augustini Episcopi.

Serm. 35. de sanctis, circa medium.

Lectio IV.

O felix puerperium, lætabile Angelis, optabile Sanctis, necessarium perditis, congruum profligatis. Qui post multas assumptæ carnis injurias, & ad ultimum verberatus est flagris, potatus felle, affixus patibulo; &, ut te veram matrem ostenderet, verum se hominem patiendo monstravit.

℟. Ecce iste venit. *pag. 130.*

Lectio V.

Sed quid dicam pauper ingenio, cum de te, quicquid dixero, minor laus est, quam dignitas tua meretur? Si cœlum te vocitem, altior es: si matrem gentium dicam, præcedis; si formam Dei appellem, digna existis; si Dominam Angelorum vocitem, per omnia esse probaris.

℟. Congratulamini. *pag. 131.*

Lectio VI.

Quid ergo de te DEI Genitrix digne dicam, quid referam, cum non sufficiat lingua carnis tuas enarrare virtutes? Has interim laudes file-

fileat lingua carnis, quas semper ardenter profert anima. Nunc peto, ut aures nostras doctrinarum tuarum demulceas organis. Plaudat nunc tympanis scena tuis, & veloces articuli Puerperæ concrepent: concinant lætantes chori, & alternantibus modulis dulcisona carmina misceantur.

℟. Beata, quæ credidisti. *pag. 131.*

In Tertio Nocturno.

Lectio sancti Evangelii secundum Lucam.

Lectio VII. Cap. 1.

In illo tempore: Exurgens Maria abiit in montana cum festinatione in civitatem Juda; & intravit in domum Zachariæ, & salutavit Elisabeth. Et reliqua.

De Homilia sancti Ambrosii Episcopi.

Unde supra, paulo post.

Exultavit Joannes, exultavit & Mariæ spiritus. Exultante Joanne, repletur Elisabeth: Mariam tamen non repleri spiritu, sed spiritum ejus exultare cognovimus. Incomprehensibilis enim incomprehensibiliter operabatur in Matre: & illa post conceptum repletur, ista ante conceptum. Benedicta tù inter mulieres. Novit sermonem suum Spiritus sanctus, nec umquam obliviscitur. Et prophetia non solum rerum completur miraculis, sed etiam proprietate verborum.

℟. Beatam me dicent. *pag. 132.*

Lectio VIII.

Quis est iste fructus ventris, nisi ille, de quo dictum est: Ecce hæreditas Domini, Filii; merces, fructus ventris? Hoc est, hæreditas Domini filii sunt, qui merces sunt fructus illius, qui de Mariæ ventre pro-

cessit. Ipse fructus ventris est flos radicis, de quo bene prophetavit Isaias, dicens: Exiet virga de radice Jesse, & flos de radice ejus ascendet. Radix enim est familia Judæorum, virga Maria, flos Christus: qui veluti bonæ arboris fructus pro nostræ virtutis processu nunc floret, nunc fructificat in nobis.

℟. Felix namque. *pag. 133.*

Pro sancto Udalrico Ep. Confessore.

Lectio IX.

Udalricus, nobilis Germanus, Hupaldi Comitis de Dilingen & Khyburg, ex Thietburga Ducis Suevorum filia, ortus. Adolescens ad Monasterium sancti Galli missus, religioso cuidam viro erudiendus traditur. Ubi litteris, virtutum studium conjungens, brevi tempore profecit, ac religiosum deinde habitum assumere statuit. Dei autem providentia altiori statui reservatus, Ecclesiæ Augustanæ Episcopus præficitur invitus. Hanc postea eximia charitatis & prudentiæ laude, admiranda pietate, ac indefessa vigilantia administravit. Divina quandoque peragenti mysteria, adesse visa est manus, virtute Omnipotentis cum ipso sacris benedicens. His ille præsidiis instructus, bellorum motus ac infestationes sedavit mirifice. Maximorum Principum animos discordiis distractos, incredibili dexteritate conciliavit: pacemque inter Othonem Regem, & filium ejus composuit. Expletis autem in munere Episcopali quinquaginta annis, vir miræ sanctitatis diem sui obitus magno desiderio diu expectatum cognoscens, quarto nonas Julii, anno salutis nongentesimo, septuagesimo tertio, ætatis suæ octogesimo tertio, pie

pie obdormivit in Domino, miraculorum gratia in vita & post mortem illustris. Nobile corpus, ornamentum consolatione plenum, Augustæ relinquens.

Te Deum laudamus.

In Laudibus

1. *Comm. SS. Apostolor. Petri, & Pauli.*

2. *S. Udalrici Episcopi Conf.*

Antiph. Euge serve bone.

℣. Justum deduxit.

Oratio, ut supra in Vesper. pag. 133.

Die V. Julii.

Quarta die infra Octavam Visitationis B. V. M.

Semiduplex.

In Primo Nocturno.

Lectiones de scriptura occurrente.

In Secundo Nocturno.

De Sermone S. Augustini Episcopi.

Unde supra.

Lectio IV.

Audiamus dilectissimi fratres! audiamus pio mentis affectu: audiamus quemadmodum tympanistriarum doctrinis concrepet beata Virgo Maria. Audiamus inquam, & huic harmoniæ moribus respondeamus. Denique cum hæc mulier beatissima ab Angelo jam salutata, Spiritu sancto repleta, plenitudine Divinitatis afflata, ad Elisabeth venisset cognatam; post exultationem Joannis in utero matris, hæc Domino decantavit cantica laudis: *Magnificat anima mea Dominum, & exultavit Spiritus meus in Deo salutari meo.*

℟. Ecce iste venit. *pag. 130.*

Lectio V.

Primo igitur hoc in loco quærendum est, quid sit magnificare Dominum. Neque enim

magnus fit a creatura Creator. Sed sciendum nobis est, duobus modis dici, magnificari; id est, aut magnum facere, aut magnum adorare, magnum admirari. Magnificatur enim Deus a nobis, cum magnificari dignatur a nobis. Sed numquid sic in nobis, sicut in beata Maria eandem carnem sumpsit pro nobis?

℟. Congratulamini. *pag. 131.*

Lectio VI.

Quæcumque tamen anima sancta verbum concipere potes credendo, pare prædicando, magnifica amando. Unde & David Propheta dicit: *Magnificate Dominum mecum, & exaltemus nomen ejus in idipsum.* Ac si diceret: Magnitudinem Domini mecum prædicate, & nominis ejus præconia magna voce attollite. Hinc iterum dicit: *Domine Deus meus, magnificatus es vehementer!* Unde autem magnificetur in nobis, idem Propheta ait: *Magnificata est usque ad cœlos misericordia tua.*

℟. Beata, quæ credidisti. *pag. 131.*

In Tertio Nocturno.

Lectio sancti Evangelii secundum Lucam.

Lectio VII. *Cap. 1.*

In illo tempore: Exurgens Maria abiit in montana cum festinatione in civitatem Juda; & intravit in domum Zachariæ, & salutavit Elisabeth. Et reliqua.

De Sermone sancti Ambrosii Episcopi.

Unde supra.

Et unde hoc mihi, ut veniat Mater Domini mei ad me? Non quasi ignorans dicit: scit enim esse Spiritus sancti gratiam & operationem, ut mater Prophetæ a Matre Domini ad profectum sui

sui pignoris salutetur. Sed quasi non humani hoc meriti, sed divinæ gratiæ munus esse cognoscat; ita dicit: Unde hoc mihi? Hoc est, quo tantum bonum mihi accidit, ut mater Domini mei veniat ad me? Non cognosco meum. Unde hoc mihi? qua justitia? quibus factis? pro quibus meritis? Non usitata hæc officia feminarum sunt.

℟. Beatam me dicent. *pag. 132.*

Lectio VIII.

Vides non dubitasse Mariam, sed credidisse, & ideo fructum fidei consecutam. Beata inquit, quæ credidisti. Sed & vos beati, qui auditis, & creditis: quæcumque enim crediderit anima, & concipit, & generat Dei Verbum, & opera ejus agnoscit. Et ait Maria: Magnificat anima mea Dominum. Sit in singulis Mariæ anima, ut magnificet Dominum: sit in singulis spiritus Mariæ, ut exultet in Deo. Nam etsi secundum carnem una Mater est Christi, secundum fidem tamen omnium fructus est Christus.

℟. Felix namque. *pag. 133.*

Lectio IX.

Omnis enim anima concipit Dei verbum, si tamen immaculata & immunis a vitiis, intemerato castimoniam pudore custodiat. Quæcumque igitur talis esse potuerit anima, magnificat Dominum, sicut anima Mariæ magnificavit Dominum, & exultavit spiritus ejus in Deo salutari suo. Non quod Domino aliquid humana voce possit adjungi, sed quia magnificatur in nobis. Sed Mariæ, quo persona melior, eo prophetia plenior.

Te Deum Laudamus.

In Laudibus Commem. SS. Petri & Pauli Apostolor.

Die

Die VII. Julii.

Sexta die infra Octavam Visitationis B. V. M.

Semiduplex.

In Primo Nocturno.

Lectiones de scriptura occurrente.

In Secundo Nocturno.

De Sermone S. Augustini Episcopi.

Unde supra.

Lectio IV.

Hinc namque optandum est in singulis, ut anima nostra magnificet Dominum, concipiat Dei verbum, pariat, & nutriat, recordetur salvationis suæ pia commercia: quomodo nullis suis præcedentibus meritis sit ab iniquitate salvata, sed sola Dei bonitate gratuita, Christi sanguine redemta; & dicat: *Magnificat anima mea Dominum. Sic enim Deus dilexit mundum*, ait Evangelium, *ut Filium suum Unigenitum daret.* Hinc namque & Apostolus: *Qui proprio*, inquit, *Filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum.* O miræ pietatis affectus! O inæstimabilis ardor charitatis! Quis ante tantæ pietatis divitias non obstupescat? Quis ante tam ineffabilem charitatem non contremiscat? Quis unquam posset sperare, ut ex Deo ante tempora natus, nasceretur pro hominibus in tempore ex femina homo factus? Quis inquam posset æstimare, ut portaretur manibus femineis Portator orbis, panis Angelorum aleretur, virtus cœlorum infirmaretur, vita omnium moreretur?

℟. Ecce iste venit. *pag. 130.*

Lectio V.

Magnificet ergo in his anima glorioſissimæ Mariæ Dominum: magni-

gnificet & noſtra. Admiremur, gratulemur, amemus, laudemus, adoremus, gratias illi agamus: quoniam per ejusdem Redemptoris noſtri mortem de tenebris ad lucem, de morte ad vitam, de corruptione ad incorruptionem, de exilio ad patriam, de luctu ad gaudium, de terris ad cœleſte regnum vocati ſumus. Qualiscunque igitur anima ſancta talibus fuerit incitamentis occupata, nihil concupiſcit terrenum. Huic mundus carcer, cœlumque habitatio eſt; huic exultatio de præſentibus nulla eſt, quia in illo tantum gaudere appetit, qui ſuper omnes eſt.

℟. Congratulamini. *pag. 131.*

Lectio VI.

Unde in ſancto cantico cum diceret Virgo glorioſa: *Magnificat anima mea Dominum, & exultavit ſpiritus meus*, ſignanter addidit: *In Deo ſalutari meo*; ac ſi diceret: Anima mea, quæ magnificat Dominum, non in quolibet alio, ſed in illo tantum exultat, quem amando magnificat. Hac exultatione nullus eorum gaudet, quisquis de præſentibus tantum exultat, æternisque bonis intereſſe non concupiſcit; cui exilium patria eſſe creditur, & mors vita æſtimatur; cui Deus venter eſt, & ornatus non in moribus, ſed in actu eſt. Ingemiſce ergo, o ſancta anima, quæcunque in Domino exultas! Et quoties te ab hac exultatione abſtractam eſſe videris, dicito: *Ne projicias me, Domine, a facie tua, & Spiritum ſanctum tuum ne auferas a me. Redde mihi lætitiam ſalutaris tui, & Spiritu principali confirma me.*

℟. Beata, quæ credidiſti. *pag. 131.*

In

In Tertio Nocturno.

Lectio sancti Evangelii secundum Lucam.

Lectio VII. *Cap.* 1.

In illo tempore: Exurgens Maria abiit in montana cum festinatione in civitatem Juda; & intravit in domum Zachariæ, & salutavit Elisabeth. Et teliqua.

Homilia Venerabilis Bedæ Presbyteri.

Ex Comm. in Luc. lib. 1. *c.* 3.

Notandum, quanta Elisabeth animum gratia, Maria intrante ditavit, quem simul de præterito, præsenti, atque futuro, per prophetiæ spiritum illustravit. Dicens enim: Beata, quæ credidisti: aperte indicat, quia verba Angeli, quæ dicta ad Mariam fuerant, per spiritum agnovit. Atque subjungens, perficientur ea, quæ dicta sunt tibi a Domino, quæ etiam eam in futuro sequerentur, prævidit. Matrem vero Domini sui nominans, quia Redemptorem humani generis in utero portaret, intellexit.

℟. Beatam me dicent.

pag. 132.

Lectio VIII.

Ex Homil. ejusdem de Visitat.

Et quia per temeritatem seductæ mulieris mors in mundum introierat, congruum fuerat, ut in indicium vitæ revertentis mulieres se devotæ, humilitatis invicem ac pietatis prævenirent obsequiis. Prior ergo nobis beata Dei Genitrix ad sublimitatem patriæ cœlestis, iter ostendit humilitatis: non minus religionis, quam castitatis exemplo venerabilis. Siquidem gloria virginei, & intemerati corporis qualis sit, vita supernæ civitatis, ad quam suspiramus, insinuat. Quis enim nesciat, virginem Deo consecratam, muliere Deo de-

dedita gradum habere potiorem? Quis dubitet, Matrem Regis æterni, jure matri militis præferendam?

℟. Felix namque. *pag. 133.*

Lectio IX.

Intrat ergo domum Zachariæ atque Elisabeth, quam servum ac præcursorem Domini parituram noverat, salutat: non quasi dubia de oraculo, quod acceperat, sed ut congratulatura de dono, quod conservam accepisse didicerat: non ut verbum Angeli, mulieris attestatione probaret; sed ut mulieri provectæ ætatis Virgo juvencula ministerium sedula impenderet. Aperiente os ad salutandum beata Maria, repleta est mox Spiritu sancto Elisabeth, repletus est & Joannes. Aderat namque tempus, quo impleretur Angeli sermo, quem dixerat, quia Spiritu sancto replebitur adhuc ex utero matris suæ.

Te Deum laudamus.

1. Vesp. de sequenti, cum commem. præced.

Die VIII. Julii.

In Festo SS. Chiliani Episcopi, & Sociorum Martyrum.

Duplex.

Omnia de Communi plurimorum Martyrum, præter sequentia.

Oratio.

Deus, qui hodierna die beatum Chilianum martyrem tuum atque Pontificem virtute constantiæ in passione roborásti: quique illi ad prædicandum gentibus gloriam tuam Colomannum, & Totnanum sociare dignatus es; tribue nobis, quæsumus, ex eorum imitatione, pro amore tuo prospera mundi despicere, & nulla ejus adversa formidare. Per Dominum.

Com-

Commem. Oct. Visitationis B. V. M.

In Primo Nocturno.

Lectiones de scriptura occurrente.

In Secundo Nocturno.

Lectio IV.

Beatus Chilianus, in Scotia veteri, seu Hibernia Insula maris Oceani nobilibus parentibus ortus; contemptis hujus mundi illecebris, ad monasterium tanquam salutis portum tutissimum confugit. In quo assiduis jejuniis, vigiliis & precibus, ac rerum divinarum contemplatione, maximam nominis celebritatem, ac sanctitatis laudem consecutus; accitis quibusdam sociis inde discessit; ac Wirzburgum Franconiæ oppidum pervenit; ibique ignotus inter incredulæ gentis feritatem aliquamdiu vitam exegit, paratus pro illius salute, Christique gloria sanguinem fundere.

℟. Sancti tui Domine mirabile consecuti sunt iter, servientes præceptis tuis, ut invenirentur illæsi in aquis validis: * Terra apparuit arida: & in mari rubro via sine impedimento. ℣. Quoniam percussit petram, & fluxerunt aquæ, & torrentes inundaverunt. * Terra.

Lectio V.

Profectus postea Romam, accepta a summo Pontifice Conone prædicandi licentia, ad locum sibi destinatum pervenit. Veniens autem ad prædictum oppidum Wirzburg, non eum, quem prius in ea Provincia Ducem invenit, sed alium, nomine Gosbertum; quem Episcopali auctus dignitate, ad fidem Christianam prædicatione sua convertit, & cum multis aliis ipsi subjectis baptizavit. Videns autem vir sanctus, Ducem, quantumvis

vis in fide instructus esset, periclitari tamen de salute; quod Germani sui, jam antea vita functi uxorem matrimonio sibi copulatam retineret, blando colloquio familiarius admonito persuasit, ut eam a thoro separatam dimittere cogitaret.

℟. Verbera carnificum non timuerunt sancti Dei, morientes pro Christi nomine: * Ut hæredes fierent in domo Domini. ℣. Tradiderunt corpora sua propter Deum ad supplicia. * Ut hæredes.

Lectio VI.

Hæc cum ad aures impiæ mulieris venissent, furore succensa, Chiliani necem, diu noctuque pertractans, ei insidias parare cœpit. Quas ille cognoscens, cum sociis, Colomanno Presbytero, & Totnano Diacono, orationibus & jejuniis vacare non desiit. Cum igitur diu optatum martyrii diem alacriter expectarent: irruentibus, dum divinas laudes peragerent, sicariis ad hoc destinatis, impio gladio trucidati sunt anno Domini sexcentesimo octogesimo nono. Eorum reliquiæ in nobilissima Wirceburgensi Basilica eximie coluntur.

℟. Tanquam aurum in fornace probavit electos Dominus, & quasi holocausti hostiam accepit illos: & in tempore erit respectus illorum. * Quoniam donum & pax est electis Dei. ℣. Qui confidunt in illum, intelligent veritatem: & fideles in dilectione acquiescent illi. * Quoniam.

Gloria Patri. * Quoniam.

In Tertio Nocturno.

Homilia in Evangel. Videns Jesus turbas. *ut supra 22. Junii, pag. 123.*

Die IX. Julii.

Octava Visitationis B. V. M.

Duplex majus.

Officium ut in Festo, præter sequentia.

In Primo Nocturno.

Lectiones: Ego flos campi, *ut in festo.*

In Secundo Nocturno.

De Sermone S. Augustini Episcopi.

Unde supra, paulo post.

Lectio IV.

Virgo gloriosa, Maria, beatam se dici ab omnibus generationibus manifestat: eo quod ejus humilitatem Deus respexit. Nam subdit: *Quia respexit humilitatem ancillæ suæ; ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes.* O Vere beata humilitas, quæ Deum hominibus peperit, vitam mortalibus edidit, cœlos innovavit, mundum purificavit, paradisum aperuit, & hominum animas ab inferis liberavit. O inquam vere gloriosa Mariæ humilitas, quæ porta paradisi efficitur, scala cœli constituitur! Facta est certe humilitas Mariæ scala cœlestis, per quam descendit Deus ad terras. *Quia respexit*, inquit, *humilitatem ancillæ suæ.*

℟. Ecce iste venit. *pag. 130.*

Lectio V.

Et quid est dicere: *Respexit*, nisi comprobavit, placuit ei humilitas mea? Unde per Prophetam Dominus dixit: *Ad quem respiciam, nisi ad pauperculum, & humilem, & trementem sermones meos?* Hinc David Domino dicit: *Quia respexisti humilitatem meam, salvasti de necessitatibus animam meam.* Multi siquidem videntur in conspectu hominum humiles esse, ut ab eis beatificentur; sed eorum humilitas a Domino non respicitur, quia falso, & non

vere

vere de humilitate gloriantur. Si enim veraciter humiles essent, Deum ab omnibus, & non se, vellent laudari. Non in hoc mundo eorum spiritus exultaret, sed in Deo salutari; humilitatem suam non ab hominibus conspici, sed a Deo optarent.

℟. Congratulamini. *pag. 131.*

Lectio VI.

Sequitur in hoc sancto Cantico: *Quia fecit mihi magna, qui potens est, & sanctum nomen ejus.* Quæ tibi magna fecit, Domina, quæ gloriosa Virgo, ut dici beata merearis? Puto enim, imo veraciter credo: ut creatura ederes Creatorem, famula Dominum generares, ut per te Deus mundum redimeret, per te illuminaret, per te ad vitam reduceret. Hucusque Virgo beata de te ipsa, quæ nos ad amorem Dei accenderent, fideliter protulisti; sed hæc, quæ de te ipsa narrasti, neque tu, ut dignitas tua meretur, dicere potuisti. Inter hæc igitur, fratres, cum toto mentis affectu beatissimæ Virginis nos intercessionibus committamus; omnes ejus patrocinia omni nisu imploremus: ut dum nos supplici eam obsequio frequentamus in terris, ipsa nos sedula prece commendare dignetur in cœlis. Neque enim dubium, quæ meruit pro liberandis proferre pretium, posse plus omnibus liberatis impendere suffragium.

℟. Beata, quæ credidisti. *pag. 131.*

In Tertio Nocturno.

Lectio sancti Evangelii secundum Lucam.

Lectio VII. *Cap.* 1.

In illo tempore: Exurgens Maria, abiit in montana cum festinatione in civitatem Juda. Et intravit in domum

Zachariæ, & salutavit Elisabeth. Et reliqua.

Homilia sancti Bernardi Abbatis.

De Verb. Apoc. c. 12. circa fin.

Mirabatur Elisabeth personam venientis, dicens: Unde hoc mihi, ut veniat Mater Domini mei ad me? Commendabat & vocem salutantis, adjiciens: Ut facta est vox salutationis tuæ in auribus meis, exultavit in gaudio infans in utero meo. Et beatificabat fidem credentis. Beata, inquiens, quæ credidisti. Magna quidem præconia, sed & devota humilitas, nihil sibi passa retinere, in eum magis universa refudit, cujus in se beneficia laudabantur.

℟. Beatam me dicent. *pag. 132.*

Lectio VIII.

Tu, inquit, magnificas matrem Domini: sed, Magnificat anima mea Dominum. In voce mea filium perhibes exultasse in gaudio; sed, Exultavit spiritus meus in Deo salutari meo: & ipse quoque tanquam amicus sponsi gaudet ad vocem sponsi. Beatam me esse dicis, quæ credidi: sed credulitatis & beatitudinis causa respectus est supernæ pietatis; ut ex hoc magis beatam me dicant omnes generationes, quia ancillam humilem & exiguam respexit Deus.

℟. Felix namque es sacra. *pag. 133.*

Lectio IX.

Verumtamen numquid putamus fratres, Elisabeth sanctam in eo, quod per Spiritum utique loquebatur, errasse? Absit. Beata plane, quam respexit Deus; & beata, quæ credidit. Hic enim magnus divinæ respectionis extitit fructus. Ineffabili siquidem artificio Spiritus

tus superveniens tantæ humilitati, magnanimitas tanta in secretario virginei cordis accessit; ut quod videlicet nec humilitas tanta minuit magnanimitatem, nec magnanimitas tanta humilitatem. Sed cum in sua æstimatione tam humilis esset, nihilominus & in promissionis credulitate magnanimis: ut quæ nihil aliud, quam exiguam se reputaret ancillam, ad inscrutabile Sacramentum nullatenus se dubitaret electam, & veram Dei & hominis genitricem crederet mox futuram.

Te Deum laudamus.

Die XI. Julii.

In Festo sancti Brictii Episcopi Martulani, Confessoris; Compatroni Diœceseos.

Duplex majus.

Omnia de Communi Confess. Pontif. præter Orationem, & LL. 2. Nocturni.

In Hymno: Iste Confessor, *mutat. 3. V.*

Oratio.

Moveat pietatem tuam, quæsumus, Domine, subjectæ tibi plebis affectus, & misericordiam tuam supplicatio fidelis obtineat: ut, quod meritis non præsumit; per intercessionem sancti Brictii Confessoris tui atque Pontificis indulgentiæ tuæ largitate percipiat. Per Dominum.

Commem. 1. præced. 2. S. Pii Papæ M.

In Primo Nocturno.

Lect. Fidelis sermo. *de Communi Confessoris Pontificis.*

In Secundo Nocturno.

Lectio IV.

Brictius Martulæ Episcopus, priusquam ad Episcopalem sublimatus fuisset dignitatem: sub

Marciano judice, quod Christum libere prædicaret, comprehensus saxoque ad os contusus, in carcerem conjectus est; ubi non solum per Angelum Dei, & beatum Petrum visitari, ac confortari; verum etiam a beato Petro cœlitus in ordine Episcopali constitui, & sancto Angelo duce libertati suæ restitui meruit. Quare in locum qui Marianus dicitur, descendit; ibique oratorio in nomine sanctæ Dei Genitricis constructo, in eodem fontem baptismalem consecravit, ac Paganos ad fidem conversos baptizavit.

℟. Inveni David servum meum, oleo sancto meo unxi eum: * Manus enim mea auxiliabitur ei. ℣. Nihil proficiet inimicus in eo, & filius iniquitatis non nocebit ei. * Manus enim.

Lectio V.

Ordinavit quoque Joannem Metropolitanum Spoletanæ, nec non Vincentium Menaniæ, & Stripodatum Victonicæ, atque Herculanum nepotem suum Perusianæ, Civitatum Episcopos. Familiari Angeli consuetudine frequenter perfruitus, in amore Dei sic proficiebat, ut omnibus tam verbo, quam factis ad ædificationem prælucaret; tantumque in eo Spiritus sancti gratia exuberabat, ut etiam spiritus immundos ab obsessis ejiceret, ægrotosque persanaret, atque cæco a nativitate visum oratione impetrârit.

℟. Posui adjutorium super potentem, & exaltavi electum de plebe mea: * Manus enim mea auxiliabitur ei. ℣. Inveni David servum meum, oleo sancto meo unxi eum. * Manus.

Le-

Lectio VI.

Plurimis itaque perfunctus pro Christo laboribus, in verticem collis juxta Martulam, ab Angelo perductus, ab eodem prænuntium accepit; hunc locum ipsius usque ad Adventum Christi fore. Unde confessor Christi etiam in illa regione submontana, quæ dicitur Martulana, cœpit verbum Dei cum fiducia prædicare, multum accrescente numero Christianorum. Exædificavit ibidem & Oratorium, indens loco nomen: Salustianum, eo quod ibi salutem animæ percepisset. Ad senectutem bonam perductus, sanctoque Spiritu plenus, cum magnam multitudinem Paganorum convertisset, septimo idus Julii circa annum tercentesimum, Confessor quievit in pace.

℟. Iste est, qui ante Deum magnas virtutes operatus est, & omnis terra doctrina ejus repleta est: * Ipse intercedat pro peccatis omnium populorum. ℣. Iste est, qui contempsit vitam mundi, & pervenit ad cœlestia regna. * Ipse intercedat.

Gloria Patri. * Ipse.

In Tertio Nocturno.

Homilia in Evangelium: Vigilate *de Communi Confess. Pontificis. 2do loco.*

IX. Lectio, & in Laud. Commem. de S. Pio Papa Martyre. ex Rom.

Die XIII. Julii.

In Festo sanctæ Margaritæ Virginis, & Martyris.

Duplex.

Omnia de Communi V. & M. præter sequentia.

Oratio.

Deus, qui beatam Margaritam Virginem hodierna die per martyrii palmam ad cœlos venire

nire feciſti; concede nobis, quæſumus, ut ejus exempla ſequentes ad te pervenire mereamur. Per Dominum.

Commem. præced. ut in Romano.

In Primo Nocturno.

Lectiones de ſcriptura occurrente.

In Secundo Nocturno.

Lectio IV.

Margarita, quæ & Marina, Antiochiæ Piſidiæ, patre Ædeſio idolorum ſacerdote nata, a teneris annis Chriſtianæ Religioni addicta, baptizata eſt. Quæ cum eximiæ eſſet pulchritudinis, a Præfecto Olibrio adamatur. Cumque eam ſibi ſiſti juberet, illam alloquitur: Tuum nobis, puella, & nomen, & religionem edicito. Tum illa: Margarita, inquit, vocor; genere ſum nobilis, religione Chriſtiana.

℟. Propter veritatem, & manſuetudinem, & juſtitiam: * Et deducet te mirabiliter dextera tua. ℣. Specie tua, & pulchritudine tua intende proſpere procede, & regna. * Et deducet.

Lectio V.

At Præſes: duo prima convenientia ſunt, tertium vero abſurditas eſt. Nam quid ſtultius, quam ut Deum ſibi quis faciat Crucifixum? Ad hæc Virgo: Unde dic, oro, didiciſti Dominum Jeſum fuiſſe crucifixum? Tum Præſes: ex libris Chriſtianorum. Cui Margarita: quænam verecundia eſt, ut, cum in eisdem libris legatur, & pœna Chriſti, & gloria, alterum credatis, & alterum reſpuatis?

℟. Dilexiſti juſtitiam, & odiſti iniquitatem: * Propterea unxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ. ℣. Propter veritatem, & manſuetudinem, & juſtitiam. * Propterea.

Le-

Lectio VI.

His vehementer ira accensus Præfectus, varia tormentorum genera in sancto illo corpusculo consumpsit. Primum enim virgis cæsam, deinde ungulis fossam in carcerem trudi jubet, ubi & spectro dæmonis, forma terrifica draconis appetitur. Sed ad signum crucis tota vis diaboli prosternitur. Producitur iterum Virgo, & cum in confessione Fidei constantior perseveraret, ardentibus facibus latera ejus exuruntur. Denique multis superatis tormentis, truncato capite, victorem per tot coronas spiritum cœlum excepit.

℟. Afferentur Regi virgines post eam, proximæ ejus, * Afferentur tibi in lætitia & exultatione. ℣. Specie tua, & pulchritudine tua intende, prospere procede, & regna. * Afferentur.

Gloria Patri. * Afferentur.

In Tertio Nocturno.

Homilia in Evangel. Simile est regnum cœlorum thesauro. *ut 29. Januar. pag. 32.*

In secundis Vesperis a Capitulo de sequenti, cum Commem. præc.

Die XV. Julii.

In Festo Divisionis Apostolorum.

Duplex majus.

Omnia de Communi Apostolor. exceptis sequentibus.

IN I. VESPERIS.

Ad Magnificat Antiph.

Euntes in mundum universum, prædicate Evangelium omni creaturæ, alleluja. Qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit, alleluja. Qui autem non crediderit, condemnabitur. Alleluja.

Oratio.

Deus, qui in tuorum divisione Apostolo-

rum, gentium multitudinem in unitate Fidei ad agnitionem tui sancti Nominis convocâsti: aures tuæ pietatis Ecclesiæ precibus inclina, & concede; ut quorum prædicatione te cognovimus, horum obtentu in confessione veritatis tuæ fideliter, firmiterque maneamus. Per Dominum.

Commem. præced.

In Primo Nocturno.

Lectiones: Sic nos existimet, *de Communi Apostolorum.*

In Secundo Nocturno.

Sermo sancti Joannis Chrysostomi.

Serm. de Pentecoste, post initium.

Lectio IV.

Quæ sunt tales stellæ, sicut Apostoli? Stellæ in cœlo, Apostoli super cœlos. *Quæ sursum sunt*, inquit Apostolus, *sapite: ubi Christus est in dextera Patris sedens.* Stellæ de igne insensibili, Apostoli de igne intelligibili. Stellæ noctu lucent, in die obscurantur: Apostoli in die, & in nocte suis radiis, hoc est, virtutibus effulgent. Stellæ orto sole obscurantur: Apostoli sole justitiæ resplendente, sua claritate lucescunt. Stellæ in resurrectione cadent sicut folia, Apostoli in resurrectione rapientur in aëra nubibus. Et in illis quidem sideribus alius Hesperus, alius Lucifer appellatur; in Apostolis autem nullus Hesperus est, omnes luciferi: & ideo stellis majores Apostoli. Et quicumque eos luminaria vocaverit mundi, non peccabit: non solum dum essent in corpore, sed etiam magis nunc, quando de hac vita migrarunt.

℟. Vidi conjunctos viros habentes splendidas vestes: & Angelus Domini locutus est ad me, di-

dicens: * Isti sunt viri sancti, facti amici Dei. ℣. Vidi Angelum Dei fortem, volantem per medium cœlum, voce magna clamantem, & dicentem: * Isti sunt.

Lectio V.

Unde supra, circa medium.

Peragrarunt piscatores orbem terrarum; & infirmum eum inventes, ad sanitatem reduxerunt: & in ruina positum, ad stabilitatem revocarunt: non scuta moventes, non arcus tendentes, non sagittas mittentes, non pecunias largientes, non eloquentia confidentes. Et erant nudi quidem seculo, sed induti Christum: pauperes, sed divites: pecunia indigentes, sed regnum cœlorum possidentes. Non habentes humana solatia, habentes autem Dominum suum. *Ego enim*, inquit, *vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem seculi.* Peragrarunt universum orbem terrarum, oves simul cum lupis. Quis vidit? Quis audivit? Dicit: *Mittam vos, ut oves in medio luporum.* Quis unquam pastor oves mittit in medio luporum? Sed magis, si viderit lupos, congregat oves. At verò Christus e contrario fecit: oves ad lupos direxit, & vulneratæ a bestiis non sunt; sed magis lupi ad ovium mansuetudinem sunt conversi.

℟. Beati estis, cum maledixerint vobis homines, & persecuti vos fuerint, & dixerint omne malum adversum vos, mentientes propter me: * Gaudete, & exultate, quoniam merces vestra copiosa est in cœlis. ℣. Cum vos oderint homines, & cum separaverint vos, & exprobraverint, & ejecerint nomen vestrum tanquam malum propter filium hominis. * Gaudete.

Le-

Lectio VI.

Unde supra, post medium.

Ubi sunt nunc, qui audeant Ecclesiæ contraire? Quando novella erat, in nullo potuit lædi: & nunc quando usque ad cœlum pervenit, existimas eam posse superari? Et tunc quidem, cum undecim essent Apostoli, nullus eos superare potuit; sed pauci homines totum ceperunt mundum: & nunc quando terra & mare, & orbis terrarum, & inhabitabiles regiones, & civitates, & omnes fines terræ pietate repleti sunt, putas eam te posse lædere? Sed non poteris. Christus enim propter eam passus est, portæ inferi non prævalebunt adversus eam.

℟. Isti sunt triumphatores, & amici Dei, qui contemnentes jussa principum, meruerunt præmia æterna: * Modo coronantur, & accipiunt palmam. ℣. Isti sunt, qui venerunt ex magna tribulatione, & laverunt stolas suas in sanguine Agni. * Modo.

Gloria Patri. * Modo.

In Tertio Nocturno.

Lectio sancti Evangelii secundum Lucam.

Lectio VII. *Cap. 9.*

In illo tempore: Convocatis JESUS duodecim discipulis, dedit illis virtutem & potestatem super omnia dæmonia, & ut languores curarent, & misit illos prædicare regnum Dei, & sanare infirmos. Et reliqua.

De Homilia S. Gregorii Papæ.

Ex Homil. 17. in Evangel. circa medium.

Prædicatori tanta in Deo debet esse fiducia, ut præsentis vitæ sumtus, quamvis non provideat, tamen sibi hos non deesse cer-

certissime sciat: ne, dum mens ejus occupatur ad temporalia, minus aliis provideat æterna. Quæ si quis verba etiam per allegoriam velit intelligi, in sacculo pecunia clausa est: pecunia vero clausa, est sapientia occulta. Qui igitur sapientiæ verbum habet, sed hoc erogare proximo negligit, quasi pecuniam in sacculo ligatam tenet. Unde scriptum est: Sapientia abscondita, & thesaurus occultus, quæ utilitas in utrisque?

℟. Isti sunt, qui viventes in carne plantaverunt Ecclesiam sanguine suo. * Calicem Domini biberunt, & amici Dei facti sunt. ℣. In omnem terram exivit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum. * Calicem Domini.

Lectio VIII. Paulo post.

Ecce autem, qui sacculum & peram portare prohibuit, sumtus & alimenta ex eadem prædicatione concedit. Nam sequitur: *In eadem autem domo manete, edentes & bibentes, quæ apud illos sunt:* ut ab eis terrena stipendia consequamur, quibus præmia vitæ cœlestis offerimus. Unde etiam Paulus hæc ipsa pro minimo suscipiens, dicit: *Si nos vobis spiritualia seminavimus, magnum est, si vestra carnalia metamus?* Et notandum quod subditur: *Dignus est operarius mercede sua:* quia jam de mercede sunt operis ipsa alimenta sustentationis, ut hic merces de labore prædicationis inchoetur, quæ illic de veritatis visione perficitur.

℟. Isti sunt viri sancti, quos elegit Dominus in charitate non ficta, & dedit illis gloriam sempiternam: * Quorum doctrina fulget Ecclesia, ut sole luna. ℣. Sancti per fidem vicerunt

runt regna, operati sunt justitiam. * Quorum. Gloria Patri. * Quorum.

Lectio IX. Paulo post.

Sed quid nos (quod tamen sine dolore dicere non possumus) quid nos, o pastores agimus, qui & mercedem consequimur, & tamen operarii nequaquam sumus? Fructus quippe sanctæ Ecclesiæ in stipendio quotidiano percipimus, sed tamen pro æterna Ecclesia minime in prædicatione laboramus. Pensemus, cujus damnationis sit, sine labore hic percipere mercedem laboris. Ecce ex oblatione fidelium vivimus, sed numquid pro animabus fidelium laboramus? Illa in nostrum stipendium sumimus, quæ pro redimendis peccatis suis fideles obtulerunt: nec tamen contra peccata eadem vel orationis studio, vel prædicationis, ut dignum est, insudamus.

Te Deum laudamus.

Ad Benedictus Antiph.

Convocatis Jesus duodecim Apostolis, dedit illis virtutem, & potestatem super omnia dæmonia, & ut languores curarent.

Oratio ut supra.

1. Vesperæ de sequenti, Commem. præcedentis;

Antiph. Egressi duodecim Apostoli, circuibant per castella, evangelizantes, & prædicantes ubique.

Oratio, Deus, qui in tuorum, *ut supra in I. Vesp.*

Die XVI. Julii.

Officium Beatæ Mariæ Virginis de Monte Carmelo.

Duplex majus.

Ut in Breviario Romano. Commem. præc. ut supra.

Die XX. Julii.

(In Romano 15.)

S.

S. Henrici Imperatoris, Confessoris.

Duplex.

In Hymno: Iste Confessor, *dicitur:* meruit supremos. *Et*

In Oratione omittuntur verba: hodierna die.

Die XXVI. Julii.

Sanctæ Annæ Matris B. V. M.

Dupl. II. Classis cum Octava.

Omnia ut in Breviario Romano.

Die XXVII. Julii.

S. Hieronymi Æmiliani Confessoris.

Duplex.

Ut in Romano inter Officia nova.

Comm. Octav. S. Annæ.

Die XXX. Julii.

Quinta die infra Octavam Sanctæ Annæ.

Semiduplex.

In Primo Nocturno.

Lectiones de scriptura occurrente.

In Secundo Nocturno.

Sermo sancti Joannis Damasceni.

Orat. I. de B. V. M. Nativ. Circa principium.

Lectio IV.

Quoniam futurum erat, ut Dei Genitrix & Virgo ex Anna oriretur, natura gratiæ fœtum antevertere minime ausa est: verum tantisper expectavit, dum gratia fructum suum produxisset. Siquidem oportebat eam primogenitam in lucem edi, quæ rerum omnium conditarum primogenitum, in quo omnia coagmentata sunt, paritura erat. O par beatum Joachim & Anna! Vobis omnis creatura obstricta est. Per vos enim donum omnium donorum præstantissimum, Creatori obtulit, nempe castam ma-

matrem, quæ sola Creatore digna erat.

℟. Propter veritatem & mansuetudinem, & justitiam: * Et deducet te mirabiliter dextera tua. ℣. Specie tua, & pulchritudine tua intende, prospere procede, & regna. * Et deducet.

Lectio V.

Exulta Joachim, quoniam ex filia tua filius natus est nobis, & vocatur nomen ejus magni consilii, hoc est, salutis totius mundi Angelus. Pudore afficiatur Nestorius, ac manum ori imponat. Puer hic Deus est. Quonam igitur modo ea Dei Genitrix non sit, quæ peperit? Si quis sanctam Dei Genitricem non confitetur, a Deitate remotus est. Mea non est hæc oratio, quanquam alioquin mea: hanc enim divinissimam hæreditatem a Theologo patre Gregorio accepi.

℟. Dilexisti justitiam, & odisti iniquitatem: * Propterea unxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ. ℣. Propter veritatem, & mansuetudinem, & justitiam. * Propterea.

Lectio VI.

O beatum par Joachim & Anna! Ac profecto ex ventris vestri fructu immaculati agnoscimini, quemadmodum Christus quodam loco dixit: *Ex fructibus eorum cognoscetis eos.* Ut Deo gratum erat, ac dignum ea, quæ a vobis orta est, vitæ vestræ rationes instituistis. Caste enim ac sancte munere vestro functi, virginitatis thesaurum produxistis.

℟. Fallax gratia, & vana est pulchritudo: * Mulier timens Deum, ipsa laudabitur. ℣. Date ei de fructu manuum suarum, & laudent eam in portis opera ejus. * Mulier. Gloria Patri. * Mulier.

In

In Tertio Nocturno.

Lectio sancti Evangelii secundum Matthæum.

Lectio VII. Cap. 13.

In illo tempore: Dixit JESUS discipulis suis parabolam hanc: Simile est regnum cœlorum thesauro abscondito in agro. Et reliqua.

De Homilia sancti Gregorii Papæ.

Homil. 11. *in Evangelia.*

Rursum cœleste regnum negotiatori homini simile dicitur, qui bonas margaritas quærit, sed unam pretiosam invénit, quam videlicet inventam, omnia vendens emit: quia qui cœlestis vitæ dulcedinem, in quantum possibilitas admittit, perfecte cognoverit; ea, quæ in terrenis (terris) amaverat, libenter cuncta derelinquit. In comparatione ejus vilescunt omnia, deserit habita, congregata dispergit: inardescit in cœlestibus animus, nihil in terrenis libet: deforme conspicitur, quidquid de terrenæ rei placebat specie, quia sola pretiosæ margaritæ claritas fulget in mente.

℟. Os suum aperuit sapientiæ, & lex clementiæ in lingua ejus: consideravit semitas domus suæ: * Et panem otiosa non comedit. ℣. Gustavit, & vidit, quia bona est negotiatio ejus: non extinguetur in nocte lucerna ejus. * Et panem.

Lectio VIII.

Rursus, simile esse regnum cœlorum sagenæ in mare missæ dicitur, ex omni genere piscium congreganti; quæ impleta ad littus educitur, & in vasis boni pisces eliguntur, mali autem projiciuntur foras. Sancta Ecclesia sagenæ comparatur: quia & piscatoribus est commissa, & per eam quisque ad

æternum regnum a præsentis seculi fluctibus trahitur; ne in æternæ mortis profunda mergatur. Quæ ex omni genere piscium congregat: quia ad peccatorum veniam sapientes & fatuos, liberos & servos, divites & pauperes, fortes & infirmos vocat.

℟. Regnum mundi, & omnem ornatum seculi contempsi propter amorem Domini mei Jesu Christi: * Quem vidi, quem amavi, in quem credidi, quem dilexi. ℣. Eructavit cor meum verbum bonum: dico ego opera mea regi. * Quem vidi.

Gloria Patri. * Quem vidi.

IX. Lectio, & in Laudibus Comm. de SS. Abdon & Sennen MM. ut in Romano.

AUGUSTUS.

Die II. Augusti.

Octava sanctæ Annæ.

Duplex.

In Primo Nocturno.

Lectiones de scriptura occurrente.

In Secundo Nocturno.

Ex antiquo Breviario Missensi.

Lectio IV.

Hodiernæ festivitatis diem in hujus sanctæ Matronæ veneratione dedicatum, debita cum laude celebremus: ut ejus meritis & precibus apud Deum adjuvari mereamur. Eja nunc, vena, & principium vitæ, filiaque lætitiæ, ex qua rivus fluxit omnis gratiæ! Obtine nobis sacris precibus gaudia, quæ per Dei Filium, cum sanctissima Filia tua possides cum gloria. O mulieres sanctæ, Virgines, & Viduæ! Christi Sponsæ diem agentes, celebremus solennitatem sanctæ Annæ nuptarum sa-

sacratissimæ, inter steriles glorificatæ, matris Beatissimæ Virginis, Dei Genitricis Mariæ.

℟. Propter veritatem, & mansuetudinem, & justitiam: * Et deducet te mirabiliter dextera tua. ℣. Specie tua, & pulchritudine tua intende, prospere procede, & regna. * Et deducet.

Lectio V.

Hinc psalmi Viduarum resonent; inde cantiones & melodiæ Virginum concrepent: omnes gratulemur in Domino, Matri Genitricis ipsius famulantes: cujus protegamur auxilio. Exultate in tanta Domina Virgines lætabundæ: virgineum vellus hæc edidit mundo, in quo unda Divinitatis totam se infudit de lapsu placido; Exultate & vos viduæ in tanta Matrona affectu pio: Mariam enim peperit, quæ dominatur mundo, per quam viduis facta est salutis cognitio.

℟. Dilexisti justitiam, & odisti iniquitatem: * Propterea unxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ. ℣. Propter veritatem, & mansuetudinem, & justitiam. * Propterea.

Lectio VI.

Exultet ergo mundus universus in tanto subsidio: ex ea namque prodiit Virgo, in qua VERBUM factum est caro; quod expressum Crucis patibulo, terris salutem edidit, & humano generi gloriam præstitit, pacemque & concordiam inter Angelos & hominem constituit. Idcirco lætamini, dilectissimi: lætamini, inquam, & laudate Deum in hac solennitate Matris, Genitricis Domini nostri JESU CHRISTI: qui cum Patre & Spiritu sancto vivit, & regnat Deus, per omnia secula seculorum, Amen.

℟. Fallax gratia, &

vana est pulchritudo: * Mulier timens Deum, ipsa laudabitur. ℣. Date ei de fructu manuum suarum, & laudent eam in portis opera ejus. * Mulier.

Gloria Patri. * Mulier.

In Tertio Nocturno.

Homilia in Evangel. Simile est regnum cœlorum thesauro *de Communi nec Virg. nec Martyr.*

IX. Lectio, & in Laudibus Comm. de sancto Stephano Pp. M.

In II. Vesperis a Capitulo de sequenti, ut in Romano, excepta Oratione. Commem. Octavæ S. Annæ.

Die III. Augusti.

In Inventione sancti Stephani Protomartyris; & Nicodemi, Gamalielis, & Abibonis Confessorum.

Duplex.

Omnia ut in Romano, sed sub duplici.

Oratio.

Da nobis, quæsumus Domine, imitari quod colimus, ut discamus & inimicos diligere: quia ejus, ac Sociorum ipsius Confessorum Inventionem celebramus, qui novit etiam pro persecutoribus exorare Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum: Qui tecum vivit & regnat.

Die V. Augusti.

In Festo Dedicationis S. Mariæ ad Nives.

Pro Commemoratione Sancti Oswaldi Regis, & Martyris.

Ad I. Vesperas, Antiphona: Iste sanctus.

℣. Gloria & honore.

Oratio.

Omnipotens sempiterne Deus, qui beatum Oswaldum Martyrem tuum benignæ largita-

gitatis honore, palmaque Martyrii decorasti; concede nobis propitius: ut, cujus memoriam agimus in terris, ejus apud te auxilium sentiamus in cœlis. Per Dominum nostrum.

Pro sancto Oswaldo.

Lectio IX.

Oswaldus Anglorum Rex Christianissimus, multis virtutibus ornatus, maxime vero erga pauperes & peregrinos usque adeo humilis, largus & benignus extitit, ut ad prandium considens aliquando die sancto Paschæ plurimis eleemosynæ ab eo accipiendæ causa confluentibus, dapes sibi in disco argenteo dispositas deferri, discum minutim confringi, ac inter pauperes dividi jusserit. Quod videns Episcopus Aidanus, qui assidebat, apprehendit dexteram Regis, & ait: *Nunquam inveteraſcat hæc manus.* Quod & ita juxta votum benedictionis evenit. Posteaquam autem diu multumque pro conversione subditorum suorum laborasset, pietate ac meritis plenus, Anno salutis Sexcentesimo quadragesimo secundo, ætatis suæ trigesimo octavo, impiis paganorum armis occubuit; cujus munificæ manus ense una cum brachiis a corpore resectæ, speciali incorruptionis prærogativa, usque hodie incorruptæ non solum perdurant, sed & pulvis de loco, ubi sanguinem fudit, virtutibus & miraculis multis claruerunt.

Te Deum laudamus.

In Laudibus pro Ejusdem Commem.

Antiph. Qui odit animam suam.

℣. Justus ut palma.

Oratio ut supra in Vesperis.

Die VII. Augusti.

In Festo sancti Donati Episcopi & Martyris.

Patroni Diœceſis.

Dupl. II. Claſſis cum Octava.

Omnia de Communi unius Martyr. præter ſequentia.

Oratio ut in Romano.

In Primo Nocturno.

Lectiones: A Mileto. *de Communi unius M.*

In Secundo Nocturno.

Lectio IV.

Donatus, parentibus propter Jeſu Chriſti fidem interfectis, Arretium in Etruriam, cum Hilarino Monacho ex fuga ſe contulit, cujus urbis etiam Epiſcopus creatus eſt. Quod ore docuit, vitæ ſanctitate, & miraculis confirmavit; a paganis (ut refert ſanctus Gregorius Magnus) vitreum confractum calicem mirabiliter ſigno ſanctæ crucis redintegravit. Cujus cum famam Quadratianus Præſes audiſſet, una cum Hilarino Monacho capitur, & pro tribunali Præfecto ſedenti præſentatur.

℟. Honeſtum fecit illum Dominus, & cuſtodivit eum ab inimicis, & a ſeductoribus tutavit illum: * Et dedit illi claritatem æternam. ℣. Deſcenditque cum illo in foveam: & in vinculis non dereliquit eum. * Et dedit.

Lectio V.

Notum ſit vobis, inquit Quadratianus, Dominum meum Julianum legem poſuiſſe: ut omnes Monachi vita privata depoſita, ſub auſpiciis ejus militent, & nullus Chriſtum prædicare præſumat. Vos, qui mandata ejus hactenus contempſiſtis, & per doctrinam veſtram, homines ad vana credenda induxiſtis: nunc vobis conſulite, & mandatis imperatoriis obſequentes, Chriſto relicto, diis ſacrificate. At vero, quo potentius Præſes ad ſacrifican-

ficandum urgebat, eo ferventius sancti Martyres Christum populo prædicabant.

℟. Desiderium animæ ejus tribuisti ei Domine: * Et voluntate labiorum ejus non fraudasti eum. ℣. Quoniam prævenisti eum in benedictionibus dulcedinis: posuisti in capite ejus coronam de lapide pretioso. * Et voluntate.

Lectio VI.

Propterea Quadratianus ira accensus, nisi e vestigio Juliani præceptis obedierint, & magno Jovi sacrificaverint, igne cremandos minatur. Cujus minas cum rejecissent: furore plenus præses, imperat os beati Donati lapidibus tundi, & Hilarinum vestibus exspoliari, in pavimento extensum tamdiu fustibus cædi, donec efflaret animam. Beatus Donatus vehementer & ipse cruciatus, gladio percussus est. Quorum corpora prope eam urbem honorifice sepulta sunt.

℟. Stola jucunditatis induit eum Dominus: * Et coronam pulchritudinis posuit super caput ejus. ℣. Cibavit illum Dominus pane vitæ, & intellectus: & aqua sapientiæ salutaris potavit illum. * Et coronam.

Gloria Patri. * Et coronam.

In Tertio Nocturno.

Lectio sancti Evangelii secundum Marcum.

Lectio VII. *Cap.* 13.

In illo tempore: Dixit Jesus discipulis suis: Videte, vigilate, & orate: nescitis enim quando tempus sit. Et reliqua.

Homilia sancti Petri Chrysologi.

ex Sermone 24.

Semper, & ad omnia vigilias esse salutares, nullus ignorat: quia re-

vera plus vigilare, plus vivere est. Nam quid tam mortis simile, quam dormientis aspectus? Quid tam vita plenum, quam forma vigilantis? Indulgendum somno est, ut corpus reparet, non resolvat: & vires revocet, non enervet. Semper ergo ad omnia vigilias esse salutares, nullus ignorat. Quæ ars, quod opus, quod tempus, quæ potestas, quod officium, non vitæ lucra lucubratione perquirit?

℟. Corona aurea super caput ejus: * Expressa signo sanctitatis gloria honoris, & opus fortitudinis. ℣. Quoniam prævenisti eum in benedictionibus dulcedinis, posuisti in capite ejus coronam de lapide pretioso. * Expressa.

Lectio VIII.

Hinc est, quod Rex in procinctu pervigil, callidi hostis præcavet & evitat insidias. Tunc in castris miles supervenientes nocturnos impetus cauta pernoctatione propellit. Sic nauta vigilando diffusi itineris incertas vias intrat, & calles transit invios, & vestigio furtivo ad lucrosi portus votivam pervenit mansionem. Hinc pastor adjungit noctes diebus, & totum sibi tempus denegat dormiendi, ne qua lupis, suffragante somno, grassandi in gregem præbeatur occasio.

℟. Hic est vere Martyr, qui pro Christi nomine sanguinem suum fudit: * Qui minas judicum non timuit, nec terrenæ dignitatis gloriam quæsivit, sed ad cœlestia regna pervenit. ℣. Justum deduxit Dominus per vias rectas, & ostendit illi regnum Dei. * Qui minas. Gloria Patri. * Qui minas.

Pro sancta Afra.

Lectio IX.

Afra

Afra idolis serviens, ac in flagitiis demersa, cum Narcissum Episcopum, Augustam Vindelicorum profugientem hospitio recepisset, ac in precibus pernoctantem cum Diacono vidisset: mox impudicitiæ renuntiavit, & ab eodem baptizata est. Deinde Hilariam matrem, ancillas, Dignam, Eunomiam, & Eutropiam, ad eandem fidem & morum correctionem adduxit. Tandem jussu Caji Præfecti, cum in templum Veneris rapta diis sacrificare nollet, una cum matre atque ancillis ad insulam fluminis, quod Lycum appellant, educta, & ad palum alligata, lento igne crematur. Earum corpora Augustæ Vindelicorum honorifice sepulta sunt.

Te Deum laudamus.

In Laudibus pro Commem. S. Afræ, & Sociarum Martyrum.

Antiph. Date ei de fructu manuum suarum, & laudent eam in portis opera ejus.

℣. Diffusa est gratia in labiis tuis. ℟. Propterea benedixit te Deus in æternum.

Oratio.

Da nobis, quæsumus Domine Deus noster, sanctarum Martyrum, Afræ & Sociarum ejus palmas incessabili devotione venerari: ut, quas digna mente non possumus celebrare, humilibus saltem frequentemus obsequiis. Per Dominum.

Die XI. Augusti.

Quinta die infra Octavam S. Donati Episc. & Martyr.

Semiduplex.

In Primo Nocturno.

Lectiones de scriptura occurrente.

In Secundo Nocturno.

Sermo S. Auguſtini Epiſcopi.

Eſt de S. Cypriano 12.

Lectio IV.

Sermonem exigit tam grata & religioſa ſolennitas, qua paſſionem beati martyris & Epiſcopi Donati celebramus. Triſtis proculdubio tunc Eccleſia fuit, non damno cadentis, ſed deſiderio recedentis: ſemper cupiens videre præſentem tam bonum rectorem, atque doctorem. Sed quos afflixerat ſollicitudo certaminis, conſolata eſt corona victoris. Et nunc non ſolum ſine ulla triſtitia, verum etiam cum ingenti lætitia, cuncta quæ tunc geſta ſunt, legendo recolimus, dieque iſto gaudere nobis conceſſum eſt, non timere. Neque enim formidamus terribiliter venientem, ſed expectamus hilariter redeuntem.

℣. Honeſtum fecit illum Dominus, & cuſtodivit eum ab inimicis, & a ſeductoribus tutavit illum: * Et dedit illi claritatem æternam. ℣. Deſcenditque cum illo in foveam: & in vinculis non dereliquit eum. * Et dedit illi.

Lectio V.

Vicina corporis morte, non moriebatur in animo paſtoris vigilantia paſtoralis, & cura tuendi Dominici gregis. Usque ad extremum vitæ hujus diem mente ſobria tenebatur, nec excutiebat ab animo diligentiam fideliſſimi diſpenſatoris, manus tam proxima cruenti carnificis. Ita ſe martyrem cogitabat futurum, ut eſſe non obliviſceretur Epiſcopum; magis curans, quam rationem Paſtorum Principi de commiſſis ſibi ovibus redderet: quam quid infideli de fide propria reſponderet. Amabat quip-

quippe eum, qui Petro dixerat: *Amas me? Pasce oves meas.* Et pascebat oves ejus, pro quibus sanguinem fundere illum imitans præparabat.

℟. Desiderium animæ ejus tribuisti ei Domine: * Et voluntate labiorum ejus non fraudasti eum. ℣. Quoniam prævenisti eum in benedictionibus dulcedinis: posuisti in capite ejus coronam de lapide pretioso. * Et voluntate.

Lectio VI.

Præcesserant eum multi martyres, quos flagrantissimis exhortationibus suis ad vincendum diabolum accenderat: & erat utique justum, ut quos veridicus loquendo præmiserat, patiendo intrepidus sequeretur. Quid ad hæc dicamus? Quid ad hæc exultemus tanta conceptione gaudiorum? In quid erumpat cor nostrum & os nostrum? Habentes memoriam præsentis loci, festivitatem solennissimi diei, propositionem saluberrimi exempli, omnibus medullis nostris dicamus: Deo gratias.

℟. Stola jucunditatis induit eum Dominus: * Et coronam pulchritudinis posuit super caput ejus. ℣. Cibavit illum Dominus pane vitæ, & intellectus: & aqua sapientiæ salutaris potavit illum. * Et coronam.

Gloria Patri. * Et coronam.

In Tertio Nocturno.

Lectio sancti Evangelii secundum Marcum.

Lectio VII. *Cap.* 13.

In illo tempore: Dixit JESUS discipulis suis: Videte, vigilate, & orate: nescitis enim, quando tempus sit. Et reliqua.

Homilia sancti Fulgentii Episcopi.

Sermone de Confessoribus.

Do-

Dominicus sermo, quem debemus. &c. *ut supra pag. 111. Responsoria vero, ut sequuntur.*

℟. *VII.* Corona aurea super caput ejus, * Expressa signo sanctitatis, gloria honoris, & opus fortitudinis. ℣. Quoniam prævenisti eum in benedictionibus dulcedinis, posuisti in capite ejus coronam de lapide pretioso. * Expressa.

℟. *VIII.* Hic est vere martyr, qui pro Christi nomine sanguinem suum fudit: * Qui minas judicum non timuit, nec terrenæ dignitatis gloriam quæsivit, sed ad cœlestia regna pervenit. ℣. Justum deduxit Dominus per vias rectas, & ostendit illi regnum Dei. * Qui minas.

Gloria Patri. * Qui minas.

IX. Lectio de SS. Tiburtio, & Susanna Martyribus, ut in Romano.

In Laudibus Commem. 1. Octavæ S. Laurentii. 2. SS. Tiburtii, & Susannæ MM.

Die XIII. Augusti.

Septima die infra Octavam Sancti Donati Episcopi & Martyris.

Semiduplex.

In Primo Nocturno.

Lectiones de scriptura occurrente.

In Secundo Nocturno.

Sermo sancti Petri Chrysologi.

Est de S. Apollinar. 128.

Lectio IV.

Merito sanctus Donatus, quia juxta mandatum Dei sui perdidit animam suam, eam invenit in vitam sempiternam. Beatus, qui ita cursum consummavit, fidem servavit, ut vere primus a credentibus suo reperiretur in loco: nec eum

eum quisquam confessoris vocabulo minorem credat esse, quam martyrem, quem Dei nutu quotidianum & multiplicem reversum conspicit ad agonem. Audi Paulum dicentem: *Quotidie morior.* Semel mori parum est eum, qui potest Regi suo gloriosam sæpe de hostibus referre victoriam.

℟. Honestum fecit illum Dominus, & custodivit eum ab inimicis, & a seductoribus tutavit illum: * Et dedit illi claritatem æternam. ℣. Descenditque cum illo in foveam: & in vinculis non dereliquit eum. * Et dedit illi.

Lectio V.

Non tam mors, quam fides, & devotio martyrem facit: & sicut virtutis est in acie, in conflictu, pro regis amore succumbere; ita perfectæ virtutis est diu agere, & consummare certamina. Non ideo persecutus est martyrem, quia non statim intulit mortem; sed probavit martyrem, quia non elicuit fidem; injecit tela, quæ potuit, & omnium armorum suorum genera, callidus exegit inimicus: nec tamen fortissimi ductoris movere mentem potuit, aut temerare constantiam.

℟. Desiderium animæ ejus tribuisti ei Domine, * Et voluntate labiorum ejus non fraudasti eum. ℣. Quoniam prævenisti eum in benedictionibus dulcedinis: posuisti in capite ejus coronam de lapide pretioso. * Et voluntate.

Lectio VI.

Sed ut propugnatorem suum sibi Ecclesia sancta retineret, Christo vehementer occurrit: ut vincenti justitiæ reservaret coronam, & sibi belli tempore præliatoris sui præsentiam condonaret.

Et

Et quid plura, fratres? Egit, egit Ecclesia sancta mater, ut nusquam a suo separaretur Antistite. Ecce vivit: ecce ut bonus pastor suo medius assistit in grege, nec unquam separatur spiritu, qui corpore præcessit ad tempus. Extinctus est diabolus, persecutor occubuit. Ecce regnat, & vivit, qui pro Rege suo desideravit occidi, qui vivit, & regnat Deus per omnia seculorum secula.

℟. Stola jucunditatis induit eum Dominus: * Et coronam pulchritudinis posuit super caput ejus. ℣. Cibavit illum Dominus pane vitæ, & intellectus: & aqua sapientiæ salutaris potavit illum. * Et coronam.

Gloria Patri. * Et coronam.

In Tertio Nocturno.

Lectio sancti Evangelii secundum Marcum.

Lectio VII. *Cap.* 13.

In illo tempore: Dixit JESUS discipulis suis: Videte, vigilate, & orate, nescitis enim, quando tempus sit. Et reliqua.

De Homilia S. Fulgentii Episcopi.

Dispensator vero, quis sit &c. *ut supra die 18. Junii pag. 115. Responsoria vero ut hic sequuntur.*

℟. *VII.* Corona aurea super caput ejus, * Expressa signo sanctitatis, gloria honoris, & opus fortitudinis. ℣. Quoniam prævenisti eum in benedictionibus dulcedinis: posuisti in capite ejus coronam de lapide pretioso. * Expressa.

℟. *VIII.* Hic est vere martyr, qui pro Christi nomine sanguinem suum fudit: * Qui minas judicum non timuit, nec terrenæ dignitatis gloriam quæsivit, sed ad cœlestia regna pervenit. ℣. Ju-

℣. Justum deduxit Dominus per vias rectas, & ostendit illi regnum Dei. * Qui minas.

Gloria Patri. * Qui minas.

IX. Lectio de SS. Hippolyto &c. MM.

In Laudibus Commem. 1. Oct. S. Laurentii. 2. SS. Hippolyti &c. MM.

1. Vesp. de Die Octava S. Donati Episc. & Mart. Comm. 1. S. Laurentii. 2. S. Eusebii Conf.

Die XIV. Augusti.

Octava sancti Donati Episcopi & Martyris.

Duplex.

In Primo Nocturno.

Lectiones de Scriptura occurrente.

In Secundo Nocturno.

Sermo sancti Joannis Chrysostomi.

De S. Ignatio, Tom. 5. circa medium.

Lectio IV.

Tempus animadvertite, fratres, quo dignitatem Episcopalem beatus Donatus est assecutus. Neque enim est eadem nunc, quæ tunc erat, Ecclesiam gubernandi conditio: non æqualis est labor viam tritam, & plane paratam post multos ingredi viatores; atque eam, quæ nunc primo secanda est, quæque prærupta & saxosa, ferisque plena, nec ullum adhuc viatorem admisit. Tunc autem, quocumque quis oculos verteret, ubique præcipitia, barathra, & bella, & pugnæ, & pericula: Imperatores, & Reges, & populi, & civitates, & gentes & domestici, & alieni credentibus insidias tendebant.

℟. Honestum fecit illum Dominus, & custodivit eum ab inimicis, & a seductoribus tutavit illum: * Et dedit illi claritatem æternam. ℣. Descenditque cum illo in fo-

foveam: & in vinculis non dereliquit eum. * Et dedit illi.

Lectio V.

Quemadmodum igitur gubernatorem admiramur, non quod vectores possit in portum incolumes ducere, cum mare tranquillum est, cumque navis fertur ventis secundis: sed cum insaniente pelago, ventisque sævientibus, qui in navi sunt inter se dissentiunt, magna tempestate intus & foris navigantes exagitante, navim tamen potest dirigere, & conservare. Sic eos, qui tunc Ecclesiam regebant, multo magis, quam illos, qui eam in præsentia gubernant, suspicere debemus, & admirari, quando multa bella intus & foris: quando fidei planta imbecillior erat adhuc, & diligentia magis indigebat: quando veluti modo genitus infans Ecclesiæ populus, magnam providentiam, atque sapientiam animæ, a qua nutriendus esset, postulabat.

℟. Desiderium animæ ejus tribuisti ei Domine, * Et voluntate labiorum ejus non fraudasti eum. ℣. Quoniam prævenisti eum in benedictionibus dulcedinis: posuisti in capite ejus coronam de lapide pretioso. * Et voluntate.

Lectio VI.

Verum, ne totum tempus in Episcopatus consideratione collocantes, ab iis, quæ ad eum, ut martyrem spectant, enarrandis excludamur; age ad illius certamina contendamus. Versutus enim diabolus, & adstruendas aptus insidias, existimabat, si pastores sustulisset, ovilia se facile direpturum. Sed qui comprehendit astutos in eorum astutia, ostendens, Ecclesias suas non ab hominibus guber-

bernari, sed eos, qui in ipsum credunt, semper a se regi; id fieri permittebat: ut cum cerneret, rectoribus sublatis, non tamen religionem deleri, nec veritatis prædicationem extingui, sed potius augeri: ex rebus ipsis & ipse, & qui ei inserviebant, omnes intelligerent, Christianorum disciplinam, non ab hominibus pendére, sed in cœlis radices agere, Deumque esse, qui ubique Ecclesias tueretur.

℟. Stola jucunditatis induit eum Dominus: * Et coronam pulchritudinis posuit super caput ejus. ℣. Cibavit illum Dominus pane vitæ, & intellectus: & aqua sapientiæ salutaris potavit illum. * Et coronam.

Gloria Patri. * Et coronam.

In Tertio Nocturno.

Homilia ut in ipso festo.

IX. Lectio de Vigilia Assumptionis. In Laudibus Commem. 1. S. Laurentii. 2. Vigiliæ. 3. S. Eusebii Conf.

Die XIX. Augusti.

In Festo sancti Sebaldi Confessoris.

Duplex.

Omnia de Communi Confessoris non Pontificis, præter ea, quæ sequuntur.

Oratio.

Omnipotens sempiterne Deus: qui vitam sancti Sebaldi Confessoris tui per hujus seculi ærumnas, laudabilem transire fecisti; quæsumus: ut ejus intercessione plebem Clementiæ tuæ supplicantem, in præsenti commemoratione foveas, & post hujus vitæ cursum ad cœlestia regna perducas. Per Dominum.

Commem. 1. de Octava Assumpt. 2. de S. Magno Martyre.

Antiph. ad Vesperas.

Iste sanctus.

℣. Gloria & honore.

Oratio.

Adesto Domine supplicationibus nostris, & intercedente beato Magno martyre tuo ab hostium nos defende propitiatus incursu. Per Dominum.

In Primo Nocturno.

Lectiones de scriptura occurrente.

In Secundo Nocturno.

Lectio IV.

Sebaldus a Christianissimo Rege, tunc simul Daciæ regnum moderante, precibus a Deo impetratus fuit. Nam conjux ejus Regina, cum sterilis esset, hæredem tamen intimis votis simul exoptarent; mutuo consensu Deo voverunt castum exinde thorum, si eis optatam tribueret prolem. Quorum Deus vota benigne intuens, largitus est eis filium Sebaldum: qui a teneris ad pietatem educatus, sub ipsis adolescentiæ annis mirum in modum non solum in scientiis, sed maxime in virtutibus profecit tantum, ut omnibus pietatis ac virtutis in seipso præberet exemplum.

℟. Honestum fecit illum Dominus, & custodivit eum ab inimicis, & a seductoribus tutavit illum: * Et dedit illi claritatem æternam. ℣. Justum deduxit Dominus per vias rectas, & ostendit illi regnum Dei. * Et dedit illi.

Lectio V.

Rex Pater vero cœpit etiam cogitare: quomodo in filio genealogiam, & stemma regium propagaret. Itaque selectissimam sponsam, comitis de Domus Franciæ prosapia filiam delegit. Verum Sebaldus Spiritus Dei impulsu, prima nuptiarum nocte sponsam

sam de intentione sua servandæ virginitatis edocuit; ipsamque ad parem continentiæ amorem cohortatus est: qua consentiente, & imperato ei silentio, velut alter Alexius a Virgine sponsa secessit, & silvam densam, atque ab hominibus remotam in suæ habitationis elegit exercitium. Ubi varie a maligno hoste exagitatus, etiam in vepribus se volutavit, dum victor evaderet.

℟. Amavit eum Dominus, & ornavit eum: stolam gloriæ induit eum: * Et ad portas paradisi coronavit eum. ℣. Induit eum Dominus loricam fidei, & ornavit eum. * Et ad portas.

Lectio VI.

Ibi lustris tribus sic exactis, piam ad limina Apostolorum peregrinationem suscepit. Percrebrescente autem virtutum ejus ac doctrinæ fama, a Gregorio secundo Summo Pontifice ad munus Evangelicum destinatur: ad quod dum se confert, in via comites sui itineris Wilibaldum & Wunibaldum reperit; cum quibus colles asperos peragrans, ipsisque fame ac siti fatigatis, oratione facta, divinitus panem subcinericium impetravit. Itaque progressus, in Lombardiam pervenit, propeque Vincentiam opportunum reperiens locum, ibidem stationem suam fixit. Sed virtutum ejus fama cum mox ad loca vicina se diffunderet, cœperunt ad eum etiam vicinæ civitates confluere, Deo prodigiis quoque contestante viri sanctitatem. Ipse vero, ut & alibi faceret fructum, convertit se in Bavariam, & inde juxta oppidum Nürenberg in adjacentem silvam se recepit, ibique noctu divinis contempla-

tionibus inhærens; de die vero prædicationi insistens per residuum vitæ permansit; ac tandem virtutibus plenus, clarusque miraculis beato fine quievit.

℟. Iste homo perfecit omnia, quæ locutus est ei Deus, & dixit ad eum: Ingredere in requiem meam: * Quia te vidi justum coram me ex omnibus gentibus. ℣. Iste est, qui contempsit vitam mundi, & pervenit ad cœlestia regna. * Quia te vidi.

Gloria Patri. * Quia te vidi.

In Tertio Nocturno.

Lectio sancti Evangelii secundum Lucam.

Lectio VII. *Cap.* 11.

In illo tempore: Dixit JESUS discipulis suis: Nemo accendit lucernam, & in abscondito ponit; neque sub modio, sed super candelabrum, ut, qui ingrediuntur, lumen videant. Et reliqua.

Homilia Venerabilis Bedæ Presbyteri.

Ex Comment. in Luc. Cap. 50. *Post initium.*

Candelabrum Ecclesiam dicit, cui lucernam superposuit: quia nostris in frontibus fidem suæ incarnationis adfixit; ut, qui Ecclesiam fideliter ingredi voluerint, lumen veritatis palam queant intueri. Qua sententia Judæorum quoque Proceres condemnat, qui signa quærentes exterius, apertam lucis januam noluerint intrare credendo. Denique præcipit: ne opera tantummodo, sed & cogitationes, & ipsas etiam cordis intentiones mundare & castigare meminerint.

℟. Iste est, qui ante Deum magnas virtutes operatus est, & de omni corde suo laudavit Dominum: * Ipse intercedat pro peccatis omnium po-

populorum. ℣. Ecce homo sine querela, verus Dei cultor, abstinens se ab omni opere malo, & permanens in innocentia sua. * Ipse intercedat.

Lectio VIII.

Lucerna corporis tui est oculus tuus. Corpus quippe dicit opera, quæ palam cunctis apparent, oculum vero ipsam mentis intentionem, qua operatur, & de cujus merito eadem opera, lucis an tenebrarum sint opera, discernuntur; sicut ipse consequenter exposuit, dicens: *Si oculus tuus fuerit simplex, totum corpus tuum lucidum erit.* Si, inquit, pura rectaque intentione, quæ potes, agere bona studueris, lucis profecto sunt opera, quæ facis, etiamsi coram hominibus imperfectionis aliquid habere videantur: *quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum.*

℟. Sint lumbi vestri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus vestris: * Et vos similes hominibus expectantibus Dominum suum, quando revertatur a nuptiis. ℣. Vigilate ergo, quia nescitis, quæ hora Dominus vester venturus sit. * Et vos. Gloria Patri. * Et vos.

Lectio IX.

Si autem nequam fuerit, etiam corpus tuum tenebrosum erit. Si autem perversa est intentio, quæ præcedit, pravum est omne opus, quod sequitur, quamvis rectum esse videatur. *Vide ergo, ne lumen, quod in te est, tenebræ sint:* hoc est, ne ipsa cordis intentio, quæ lumen est animæ, vitiorum caligine fuscetur, sedula discretione perpende. Juxta quod alibi præcipitur: *Omni custodia serva cor tuum, quoniam ex ipso vita procedit.*

Te Deum laudamus.

In Laudibus Commem. 1. Octavæ Assumpt. 2. S. Magni M.

Antiph. Qui odit animam.

℣. Justus ut palma.

Die XXV. Augusti.

In Translatione sanctæ Hedwigis Viduæ, Ducis Silesiæ.

Duplex.

Omnia de Communi non Virginum, præter sequentia.

Oratio.

Da nobis, quæsumus Omnipotens Deus, in te semper gloriari, & concede propitius: ut, qui sanctæ Hedwigis translationem devote colimus, ipsius adjuti auxilio, tuam gratiam sentiamus. Per Dominum.

In Primo Nocturno.

Lectiones de scriptura occurrente.

In Secundo Nocturno.

Lectio IV.

Canonizatione beatæ Hedwigis à Clemente quarto, Pontifice maximo, Anno Domini millesimo, ducentesimo sexagesimo septimo, debita cum solennitate peracta: statim etiam corpus ejus omni veneratione dignissimum relevatum est, ut in templo Monasterii Trebnicensis, quod ipsa fundaverat, honorificentius collocaretur. Cujus tumba cœmento, lapidibusque firmiter clausa, dum aperiretur: odor tanti vigoris & suavitatis emanavit, ut omnium illic existentium mentes in admirationem cogeret, & gaudium.

℟. Propter veritatem, & mansuetudinem, & justitiam: * Et deducet te mirabiliter dextera tua. ℣. Specie tua, & pulchritudine tua intende, pro-

prospere procede, & regna. * Et deducet.

Lectio V.

Sacri quoque corporis ossa cum levarentur, consumptis carnibus, membrorumque compagine soluta, tres digiti manus sinistræ inventi sunt integri & incorrupti, intra se clausam Beatæ Virginis ex ebore imaginem constringentes, quam dum viveret, secum frequenter portaverat, & defuncta cum eadem tumulata fuerat: quia moriens adeo eam inter juncturas prædictorum digitorum compressérat, ut abinde extrahi bono modo non posset. De hac imagine, dum vivens aliquando benediceret languidis, protinus curabantur: cujus virtutis, hic ejusdem imaginis eventus non leve augmentum fuit.

℟. Dilexisti justitiam, & odisti iniquitatem: * Propterea unxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ. ℣. Propter veritatem, & mansuetudinem, & justitiam. * Propterea.

Lectio VI.

Cerebrum quoque ipsius capitis, quod fere per viginti quinque annos sepultum in terra jacuerat, inveniebatur recentissimum Divina virtute mirabiliter conservatum; ac præterea quidam liquor purus & præclarus ad instar olei olivarum, suavissimi, mirandique odoris de ipso capite resudabat. Ad prædictam autem festivitatem de diversis regionibus populi multitudo confluxit quasi innumerabilis; & exsolvebat populus vota sua, ac devota mente quisque offerebat, quod ei Dominus atque devotio suggerebat, ad sanctæ Hedwigis reverentiam, & honorem.

℟. Fallax gratia, & vana

vana est pulchritudo: * Mulier timens Deum, ipsa laudabitur. ℣. Date ei de fructu manuum suarum, & laudent eam in portis opera ejus. * Mulier.

Gloria Patri. * Mulier.

In Tertio Nocturno.

Homilia in Evangel. Simile est regnum cœlorum thesauro *de Communi non Virginum.*

Die XXVII. Augusti.

In Festo sancti Josephi Calasanctii a Matre Dei, Confessoris.

Duplex.

Ut in Romano inter Officia nova.

In I. Vesperis, pro Commem. Sancti Ruffi Martyris.

Antiph. Iste sanctus.

℣. Gloria, & honore.

Oratio.

Adesto Domine supplicationibus nostris; ut beati Ruffi martyris tui intercessione confidentes, nec minis adversantium, nec ullo turbemur incursu. Per Dominum.

In Laudibus, pro Commem.

Antiph. Qui odit.

℣. Justus ut palma.

SEPTEMBER.

Dominica I. Septembris.

In Festo sanctorum Angelorum Custodum.

Dupl. II. Classis cum Octava.

Per omnes Provincias hæreditarias Augustissimi Romanorum Imperatoris.

Officium ut in Romano die II. Octobris. Lectiones per Octavam habentur ad calcem Breviarii.

Die I. Septembris.

In Festo sanctæ Joannæ Franciscæ Fremiot de Chantal, Viduæ.

Du-

Duplex.

Ut in Romano inter Officia nova.

In I. Vesperis a Capit. Commem. 1. præcedentis. Pro Commem. 2. S. Ægidii Abbatis.

Antiph. Similabo eum.

℣. Amavit eum.

Oratio.

Intercessio nos, quæsumus Domine, beati Ægidii Abbatis commendet: ut quod nostris meritis non valemus, ejus patrocinio assequamur.

3. Commem. de SS. Xysto, Prisco, Sinnicio MM. & Verena V.

Antiph. Istorum est enim.

℣. Lætamini in Domino.

Oratio.

Omnipotens sempiterne Deus, fortitudo certantium, & martyrum palma: Solennitatem hodiernæ diei propitius intuere; & Ecclesiam tuam fac continua celebritate lætari: & intercessione beatorum martyrum tuorum Xysti, Prisci, Sinnicii, atque Verenæ, omnium in te credentium vota perficias.

4. Commem. Sanctorum duodecim Fratrum Martyrum.

Antiph. Vestri capilli.

℣. Exultabunt sancti.

Oratio.

Fraterna nos, Domine, Martyrum tuorum corona lætificet: quæ & fidei nostræ præbeat incrementa virtutum, & multiplici nos suffragio consoletur. Per Dominum.

In Officio S. Joannæ Franciscæ, IX. Lectio de S. Ægidio Abb. Et in Laudibus de eodem com 1.

Antiph. Euge serve bone.

℣. Justum deduxit.

Oratio. Intercessio, *ut supra.*

2. Commem. SS. Xysti, Prisci &c. MM.

Antiph. Veſtri capilli.

℣. Exultabunt.

3. Commem. SS. XII. Fratrum MM.

Antiph. Iſtorum eſt.

℣. Lætamini. *cum Orat. ut ſupra.*

I. Veſperæ de ſequenti propriæ, cum Commem. præcedentis.

Die II. Septembris.

In Suſceptione ſanctæ Coronæ ſpineæ.

Duplex majus.

Ad I. Veſperas.

I. Antiph. Filia Jeruſalem, ecce Rex tuus veniet tibi juſtus, & Salvator: ipſe pauper.

Pſalm. Dixit Dominus, *cum reliquis de Dominica, & loco ultimi Pſalmi:* Laudate Dominum omnes gentes.

II. Antiph. Inglorius erit inter viros aſpectus ejus, & forma ejus inter filios hominum.

III. Antiph. Iſte aſperget gentes multas: ſuper ipſum continebunt reges os ſuum.

IV. Antiph. Ipſe portabit gloriam, & ſedebit, & dominabitur ſuper ſolio ſuo; & corona erit memoriale in templo Domini.

V. Antiph. Magnificentia tua, Deus, in diademate capitis illius ſculpta erat.

Capitulum. *Cantic.* 3.

Egredimini filiæ Sion, & videte Regem Salomonem in diademate, quo coronavit eum Mater ſua.

Hymnus.

Chriſti cruentæ ſplendida principum
Non certet unquam purpura purpuræ:
Junco paluſtri ſceptra cedant,
Textilibus diadema ſpinis.

His fretus armis, victor aheneos

Po-

Postes revulsit, claustraque tartari;
Cœtusque captivos piorum
In patrias revocavit arces.

Quin & premebat, quos fera servitus,
Tristi gementes eripuit jugo;
Et nocte damnatos profunda,
Ad superas dedit ire sedes.

Hæc tincta cæsi sanguine prædicat
Dei supellex: hinc aliam nefas
Ambire gazam Christianis,
Morte quibus redimenda vita.

Qui nos creavit, maxima laus Patri:
Qui nos redemit, maxima Filio:
Qui consecrando nos in ungis,
Par tibi laus, utriusque Nexus. Amen.

℣. Da imperium tuum puero tuo, Domine. ℟. Ut videant, qui oderunt me, & confundantur.

Ad Magnificat Antiph.

Conculcabitur corona superbiæ: & in die illa erit Dominus exercituum corona gloriæ, & sertum exultationis residuo populi sui.

Oratio.

Præsta quæsumus omnipotens Deus: ut, qui in memoriam Passionis Domini nostri Jesu Christi Coronam ejus spineam veneramur in terris; ab ipso gloria & honore coronari mereamur in cœlis. Qui tecum vivit.

Commem. præcedentis.

AD MATUTINUM.

Invitatorium.

Christum, Regem regum spinis coronatum, * Venite, adoremus.

Psalm. Venite.

Hym-

Hymnus.

Quo forma cessit par Deo?
Non vultus idem, non decor:
Atro fluentem sanguine,
Et ora fœdum vidimus.

Frons pro corona regia
Horret sub aspris vepribus.
Hæc illa, crudelis Sion,
Quæ serta nectis Principi?

Arundo pro sceptro datur,
Durusque pro throno lapis:
Quem vestit æternum jubar,
Ridenda vestit purpura.

Qui sceptra regum dividit,
Ut scenicus rex luditur:
Quæ solis obscurant jubar,
Velo teguntur lumina.

Orbi piando qui parem
Offers Patri te victimam,
O Christe! ne cassum tuæ
Sit passionis præmium.

Qui nos creavit, laus Patri:
Laus, qui redemit, Filio:
Qui nos fovet, laus Flamini:
Uni Deo sit gloria. Amen.

In Primo Nocturno.

Antiph. Adducunt Jesum ad Pilatum, & cœperunt illum accusare dicentes: Hunc invenimus dicentem se Christum regem esse.

Psalmus 1.

Beatus vir, qui non abiit in consilio impiorum & in via peccatorum non stetit: & in cathedra pestilentiæ non sedit:

Sed in lege Domini voluntas ejus: & in lege ejus meditabitur die ac nocte.

Et erit tamquam lignum, quod plantatum est

est secus decursus aquarum: quod fructum suum dabit in tempore suo:

Et folium ejus non defluet: & omnia quæcumque faciet, prosperabuntur.

Non sic impii, non sic: sed tamquam pulvis, quem projicit ventus a facie terræ.

Ideo non resurgent impii in judicio: neque peccatores in concilio justorum.

Quoniam novit Dominus viam justorum: & iter impiorum peribit.

Antiph. Adducunt Jesum ad Pilatum, & cœperunt illum accusare dicentes: Hunc invenimus dicentem se Christum regem esse.

Antiph. Jesus stetit ante præsidem; & interrogavit eum præses: Tu es Rex Judæorum?

Psalmus 2.

Quare fremuerunt Gentes: & populi meditati sunt inania?

Astiterunt Reges terræ, & principes convenerunt in unum: adversus Dominum, & adversus Christum ejus.

Dirumpamus vincula eorum: & projiciamus a nobis jugum ipsorum.

Qui habitat in cœlis, irridebit eos: & Dominus subsannabit eos.

Tunc loquetur ad eos in ira sua: & in furore suo conturbabit eos.

Ego autem constitutus sum Rex ab eo super Sion montem sanctum ejus: prædicans præceptum ejus.

Dominus dixit ad me: Filius meus es tu, ego hodie genui te.

Postula à me, & dabo tibi Gentes hæreditatem tuam: & possessionem tuam terminos terræ.

Reges eos in virga ferrea: & tamquam vas figuli confringes eos.

Et nunc reges intelligite:

gite: erudimini qui judicatis terram.

Servite Domino in timore: & exultate ei cum tremore.

Apprehendite disciplinam, nequando irascatur Dominus: & pereatis de via justa.

Cum exarserit in brevi ira ejus: beati omnes, qui confidunt in eo.

Antiph. Jesus stetit ante præsidem; & interrogavit eum præses: Tu es Rex Judæorum?

Antiph. Respondit Jesus: a temetipso hoc dicis, an alii dixerunt tibi de me?

Psalmus 3.

Domine, quid multiplicati sunt, qui tribulant me: multi insurgunt adversum me.

Multi dicunt animæ meæ: Non est salus ipsi in Deo ejus.

Tu autem Domine susceptor meus es: gloria mea, & exaltans caput meum.

Voce mea ad Dominum clamavi: & exaudivit me de monte sancto suo.

Ego dormivi, & soporatus sum: & exurrexi, quia Dominus suscepit me.

Non timebo millia populi circumdantis me: exurge Domine, salvum me fac Deus meus.

Quoniam tu percussisti omnes adversantes mihi sine causa: dentes peccatorum contrivisti.

Domini est salus: & super populum tuum benedictio tua.

Antiph. Respondit Jesus: a temetipso hoc dicis, an alii dixerunt tibi de me?

℣. Deus Rex noster operatus est salutem. ℟. In medio terræ.

De Canticis Canticorum.

Lectio I. *Cap. 3.*

En lectulum Salomonis sexaginta fortes ambiunt ex fortissimis Israel:

el: omnes tenentes gladios, & ad bella doctissimi: uniuscujusque ensis super femur suum propter timores nocturnos. Ferculum fecit sibi rex Salomon de lignis Libani: columnas ejus fecit argenteas, reclinatorium aureum, ascensum purpureum: media charitate constravit propter filias Jerusalem: Egredimini & videte filiæ Sion regem Salomonem in diademate, quo coronavit illum mater sua in die desponsationis illius, & in die lætitiæ cordis ejus.

℟. Regnum meum non est de hoc mundo: * Si ex hoc mundo esset regnum meum, ministri mei decertarent utique, ut non traderer Judæis; nunc autem regnum meum non est hinc. ℣. Salvabo eos in Domino Deo suo, & non salvabo eos in arcu, & gladio, & in bello. * Si ex hoc.

De Isaia Propheta.

Lectio II. *Cap.* 53.

Quis credidit auditui nostro? & brachium Domini cui revelatum est? Et ascendet sicut virgultum coram eo, & sicut radix de terra sitienti: non est species ei, neque decor: & vidimus eum, & non erat aspectus, & desideravimus eum; despectum & novissimum virorum, virum dolorum, & scientem infirmitatem: & quasi absconditus vultus ejus & despectus, unde nec reputavimus eum.

℟. Tu dicis, quia rex sum ego. * Ego in hoc natus sum, & ad hoc veni in mundum, ut testimonium perhibeam veritati: omnis qui est ex veritate, audit vocem meam. ℣. Ego constitutus sum rex a Deo super Sion montem sanctum ejus, prædicans præceptum ejus. * Ego in hoc.

Le-

Lectio III.

Vere languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portavit: & nos putavimus eum quasi leprosum, & percussum a Deo, & humiliatum; ipse autem vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra; disciplina pacis nostræ super eum, & livore ejus sanati sumus. Omnes nos quasi oves erravimus, unusquisque in viam suam declinavit: & posuit Dominus in eo iniquitatem omnium nostrum.

℟. Exivit Pilatus ad Judæos, & ait: Nihil invenio causæ in hoc homine. * Et cum accusaretur a principibus sacerdotum, & senioribus in multis, nihil respondit. ℣. Oblatus est, quia ipse voluit, & non aperuit os suum; * Et cum accusaretur.

Gloria Patri. * Et cum.

In Secundo Nocturno.

Antiph. Congregatis Judæis, dixit Pilatus: Vultis, dimittam vobis Regem Judæorum?

Psalmus 4.

Cum invocarem, exaudivit me Deus justitiæ meæ: in tribulatione dilatasti mihi.

Miserere mei: & exaudi orationem meam.

Filii hominum usquequo gravi corde: ut quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium?

Et scitote quoniam mirificavit Dominus sanctum suum: Dominus exaudiet me, cum clamavero ad eum.

Irascimini, & nolite peccare: quæ dicitis in cordibus vestris, in cubilibus vestris compungimini.

Sacrificate sacrificium justitiæ, & sperate in Domino: multi dicunt: Quis ostendit nobis bona?

Signa-

Signatum est super nos lumen vultus tui Domine: dedisti lætitiam in corde meo.

A fructu frumenti, vini & olei sui: multiplicati sunt.

In pace in idipsum: dormiam, & requiescam;

Quoniam tu Domine singulariter in spe: constituisti me.

Antiph. Congregatis Judæis, dixit Pilatus: Vultis, dimittam vobis Regem Judæorum?

Antiph. Pontifices persuaserunt populis, ut peterent Barabbam, Jesum vero perderent.

Psalmus 10.

In Domino confido; quomodo dicitis animæ meæ: Transmigra in montem sicut passer?

Quoniam ecce peccatores intenderunt arcum, paraverunt sagittas suas in pharetra: ut sagittent in obscuro rectos corde.

Quoniam quæ perfecisti, destruxerunt: justus autem quid fecit?

Dominus in templo sancto suo: Dominus in cœlo sedes ejus:

Oculi ejus in pauperem respiciunt: palpebræ ejus interrogant filios hominum.

Dominus interrogat justum & impium: qui autem diligit iniquitatem, odit animam suam.

Pluet super peccatores laqueos: ignis, & sulphur, & spiritus procellarum pars calicis eorum.

Quoniam justus Dominus, & justitias dilexit: æquitatem vidit vultus ejus.

Antiph. Pontifices persuaserunt populis, ut peterent Barabbam, Jesum vero perderent.

Antiph. Pilatus iterum ait illis: Quid ergo faciam Regi Judæorum, qui dicitur Christus? At illi magis clamabant: Crucifige eum.

Psalmus 20.

Domine, in virtute tua lætabitur Rex: & super salutare tuum exultabit vehementer.

Desiderium cordis ejus tribuisti ei: & voluntate labiorum ejus non fraudasti eum.

Quoniam prævenisti eum in benedictionibus dulcedinis: posuisti in capite ejus coronam de lapide pretioso.

Vitam petiit a te: & tribuisti ei longitudinem dierum in sæculum, & in sæculum sæculi.

Magna est gloria ejus in salutari tuo: gloriam & magnum decorem impones super eum.

Quoniam dabis eum in benedictionem in sæculum sæculi: lætificabis eum in gaudio cum vultu tuo.

Quoniam Rex sperat in Domino: & in misericordia altissimi non commovebitur.

Inveniatur manus tua omnibus inimicis tuis: dextera tua inveniat omnes, qui te oderunt.

Pones eos ut clibanum ignis in tempore vultus tui: Dominus in ira sua conturbabit eos, & devorabit eos ignis.

Fructum eorum de terra perdes: & semen eorum à filiis hominum.

Quoniam declinaverunt in te mala: cogitaverunt consilia, quæ non potuerunt stabilire.

Quoniam pones eos dorsum: in reliquiis tuis præparabis vultum eorum.

Exaltare Domine in virtute tua: cantabimus, & psallemus virtutes tuas.

Antiph. Pilatus iterum ait illis: Quid ergo faciam Regi Judæorum, qui dicitur Christus? At illi magis clamabant: Crucifige eum.

℣. Circumdedit me populus iste. ℟. Spinis peccatorum suorum.

Ser-

Sermo sancti Ambrosii Episcopi.

Serm. 74. qui est 4. de S. Cypriano, adscriptus & S. Maximo.

Lectio IV.

Videamus diligenter, ne ex palmite operis nostri non nascatur dulcedinis uva, sed fellis: ne dicatur nobis, quod Judæis dictum est per Prophetam: *Sustinui, ut faceret uvam, fecit autem spinas, & non justitiam, sed clamorem.* Quam dura conditio, ut possessio, quæ Domino suo suavitatis fructum afferre debuit, spinarum illum asperitate compunxerit! Hoc est: cum Judæi Salvatorem debuerunt tota fidei devotione suscipere, spinarum eum coronaverunt passione. Quæ corona quidem, quantum in Judæis est, erat injuriarum contumelia; quantum in Domino erat corona virtutum.

℟. Milites præsidis suscipientes Jesum in prætorium, congregaverunt ad eum universam cohortem; * Et plectentes coronam de spinis, posuerunt super caput ejus, & arundinem in dextera ejus. ℣. Dixerunt impii: contumelia & tormento interrogemus eum, ut probemus patientiam illius. * Et plectentes.

Lectio V.

Compungunt ergo Judæi Dominum, cum coronant: compungunt, dum crucifigunt. Unde ait scriptura sancta: *Videbunt, in quem compunxerunt.* Igitur, fratres, videte, ne nobis dicatur: *Sustinui ut faceret uvam, fecit autem spinas,* hoc est: ne spinas, quas Domino Judæi cruentis imposuerunt manibus, nos iniquis sensibus apponamus; & compungamus eum non asperitate sentium, sed operum

rum pravitate. Sunt enim spinæ cordis, quæ verbum Dei etiam vulnerare consueverunt; de quibus meminit in Evangelio Salvator, dicens: seminantis semen cecidisse inter spinas, & creviſſe eas, ac suffocasse, quod fatum est.

℟. Veste purpurea circumdederunt Jesum; & veniebant ad eum, * Et dicebant: Ave Rex Judæorum. ℣. Subsannaverunt me subsannatione: frenduerunt super me dentibus suis; * Et dicebant.

Lectio VI.

Ergo, fratres, videte, ne vinea vestra non uvas, sed spinas faciat: ne vindemia vestra non vinum afferat, sed acetum. Quisquis enim vindemiam legit, & pauperibus non largitur, ille acetum colligit, non vinum. Quisquis messes recondit, & indigentibus non ministrat, iste non alimoniæ fructus reposuit, sed tribulos avaritiæ congregavit. Nam propterea ait scriptura de terra vestra: *spinas & tribulos germinabit tibi.*

℟. Genu flexo ante eum, illudebant ei milites; & expuentes in eum, acceperunt arundinem, * Et percutiebant caput ejus. ℣. Dixerunt: Gloriatur Patrem se habere Deum; videamus, si sermones illius veri sint. * Et percutiebant.

Gloria Patri. * Et percutiebant.

In Tertio Nocturno.

Antiph. Exivit Pilatus foras, & dicit eis: Ecce adduco vobis eum, ut cognoscatis, quia nullam invenio in eo causam.

Psalmus 95.

Cantate Domino canticum novum: cantate Domino omnis terra.

Cantate Domino, & benedicite nomini ejus: an-

annuntiate de die in diem salutare ejus.

Annuntiate inter gentes gloriam ejus: in omnibus populis mirabilia ejus.

Quoniam magnus Dominus, & laudabilis nimis: terribilis est super omnes deos.

Quoniam omnes dii gentium dæmonia: Dominus autem cœlos fecit.

Confessio & pulchritudo in conspectu ejus: sanctimonia, & magnificentia in sanctificatione ejus.

Afferte Domino patriæ gentium, afferte Domino gloriam & honorem: afferte Domino gloriam nomini ejus.

Tollite hostias, & introite in atria ejus: adorate Dominum in atrio sancto ejus.

Commoveatur à facie ejus universa terra: dicite in gentibus quia Dominus regnavit.

Etenim correxit orbem terræ, qui non commovebitur: judicabit populos in æquitate.

Lætentur cœli, & exultet terra, commoveatur mare, & plenitudo ejus: gaudebunt campi & omnia quæ in eis sunt.

Tunc exultabunt omnia ligna silvarum a facie Domini, quia venit: quoniam venit judicare terram.

Judicabit orbem terræ in æquitate: & populos in veritate sua.

Antiph. Exivit Pilatus foras & dicit eis: Ecce adduco vobis eum, ut cognoscatis, quia nullam invenio in eo causam.

Antiph. Exivit Jesus portans coronam spineam, & purpureum vestimentum. Et dicit eis Pilatus: Ecce homo.

Psalmus 96.

Dominus regnavit, exultet terra: lætentur insulæ multæ.

Nubes, & caligo in

circuitu ejus: justitia, & judicium correctio sedis ejus.

Ignis ante ipsum præcedet: & inflammabit in circuitu inimicos ejus.

Illuxerunt fulgura ejus orbi terræ: vidit, & commota est terra.

Montes sicut cera fluxerunt a facie Domini: a facie Domini omnis terra.

Annuntiaverunt cœli justitiam ejus: & viderunt omnes populi gloriam ejus.

Confundantur omnes, qui adorant sculptilia: & qui gloriantur in simulacris suis.

Adorate eum omnes Angeli ejus: audivit, & lætata est Sion.

Et exultaverunt filiæ Judæ: propter judicia tua Domine.

Quoniam tu Dominus altissimus super omnem terram: nimis exaltatus es super omnes deos.

Qui diligitis Dominum, odite malum: custodit Dominus animas sanctorum suorum, de manu peccatoris liberabit eos.

Lux orta est justo: & rectis corde lætitia.

Lætamini justi in Domino: & confitemini memoriæ sanctificationis ejus.

Antiph. Exivit Jesus portans coronam spineam, & purpureum vestimentum. Et dicit eis Pilatus: Ecce homo.

Antiph. Cum vidissent eum Pontifices & ministri, clamabant dicentes: Crucifige, crucifige eum.

Psalmus 97.

Cantate Domino canticum novum: quia mirabilia fecit.

Salvavit sibi dextera ejus: & brachium sanctum ejus.

Notum fecit Dominus salutare suum: in conspectu gentium revelavit justitiam suam.

Recordatus est miseri-

ricordiæ suæ: & veritatis suæ domui Israel.

Viderunt omnes termini terræ: salutare Dei nostri.

Jubilate Deo omnis terra: cantate, & exultate, & psallite.

Psallite Domino in cithara, in cithara & voce psalmi: in tubis ductilibus, & voce tubæ corneæ.

Jubilate in conspectu Regis Domini: moveatur mare & plenitudo ejus; orbis terrarum, & qui habitant in eo.

Flumina plaudent manu, simul montes exultabunt a conspectu Domini: quoniam venit judicare terram.

Judicabit orbem terrarum in justitia: & populos in æquitate.

Antiph. Cum vidissent eum Pontifices & ministri, clamabant dicentes: Crucifige, crucifige eum.

℣. Acuerunt linguas suas sicut serpentis.

℟. Venenum aspidum sub labiis eorum.

Lectio sancti Evangelii secundum Joannem.

Lectio VII. *Cap.* 19.

In illo tempore: Apprehendit Pilatus Jesum, & flagellavit; & milites plectentes coronam de spinis, imposuerunt capiti ejus. Et reliqua.

Homilia sancti Cyrilli Hierosolymitani.

Incredibilis profecto res est Deum, Dei filium & brachium Domini, ista perpeti. Sed ne id credere recusent, qui salvi fiunt, hoc prædicit spiritus sanctus ex persona Christi dicentis: (ipse enim qui tunc ea loquebatur, postea præsens erat) *Dorsum meum dedi in flagella,* (Pilatus enim eum flagellatum tradidit ad crucifigendum,) *maxillas vero meas in alapas; faciem vero meam non averti a probro sputorum;*

quasi diceret: Prævidens quod me verberaturi sunt, neque maxillam leviter deflexi. Quomodo enim discipulos ad mortem pro veritate obeundam roborarem, si hoc ipse paveſcerem? Ego dixi: *Qui amat animam suam, perdet eam:* Si vitæ amans fuissem, quomodo docerem, non faciens quæ docerem?

℟. Adduxit Pilatus foras Jesum, & sedit pro tribunali, & dixit eis: * Ecce Rex vester. ℣. Egredimini, & videte Regem in diademate, quo coronavit illum mater sua. * Ecce.

Lectio VIII.

In figura regnum adumbratur: illudunt siquidem, sed genuflectunt; crucique illum affigunt milites, injecta prius purpura, & coronam circumponunt ejus capiti. Quid enim inde, etsi spineam? Rex omnis a militibus proclamatur. Oportuit & Jesum in figura a militibus coronari; ita ut propterea scriptura in Canticis dicat: *Egredimini, & videte filiæ Jerusalem regem Salomonem in corona, qua coronavit eum mater sua.* Mysterium vero erat etiam corona illa: absolutio enim erat peccatorum, absolutio a condemnationis sententia. Accepit condemnationem Adamus: *Maledicta terra in operibus tuis, spinas & tribulos producet tibi;* propterea Jesus spinas assumit, ut solvat maledictionem.

℟. Scripsit titulum Pilatus, & posuit super crucem: * Jesus Nazarenus Rex Judæorum. ℣. Super solium David & super regnum ejus sedebit, ut confirmet illud amodo & usque in sempiternum. * Jesus.

Gloria Patri. * Jesus.

Lectio IX.

Rursum cum a Pilato judicaretur, rubris ami-

amictus erat: ibi enim clamydem coccineam circumposuerunt ei. Illudne etiam scriptum est? Dixit Isaias: *Quare rubra sunt vestimenta tua, & indumenta tua, sicut a calcato torculari?* Ille autem respondet, & dicit: Tota die expandi manus meas ad populum inobedientem, & contradicentem. Expandit in cruce manus humanas, qui suis, illas quas sola mens adsequitur, manibus firmavit cœlum; eæque clavis confixæ sunt, ut affixa ligno & mortua, quæ hominum peccata portabat, humanitate, una moreretur peccatum, nos autem in justitia resurgeremus. Quandoquidem enim per unum hominem mors, per unum quoque vita; per unum hominem salvatorem videlicet sua sponte mortem subeuntem. Recorderis enim eorum, quæ dicta sunt: *Potestatem habeo ponendi animam meam, & potestatem habeo rursus sumendi eam.*

Te Deum laudamus.

AD LAUDES *& per Horas.*

I. Antiph. Vidi cœlum apertum: & ecce qui sedebat, vocabatur Fidelis & Verax; & cum justitia judicat, & pugnat.

Psal. Dominus regnavit, *cum reliquis de Laudibus Dominicæ.*

II. Antiph. Oculi ejus sicut flamma ignis, & in capite ejus diademata multa.

III. Antiph. Vestitus erat veste aspersa sanguine; & vocatur nomen ejus, Verbum Dei.

IV. Antiph. Habet in vestimento, & in femore suo scriptum: Rex regum, & Dominus dominantium.

V. Antiph. Data est ei corona; & exivit vincens, ut vinceret.

Capitulum. Isaiæ. 61.

Gaudens gaudebo in Domino, & exultabit anima mea in Deo meo; quia induit me vestimentis salutis, & indumento justitiæ circumdabit me, quasi Sponsum decoratum corona.

Hymnus.

Exite, filiæ Sion,
Regis pudicæ Virgines:
Christi coronam cernite,
Quam mater ipsa texuit.

Horret, revulsis crinibus,
Spinis cruentatum caput;
Et vultus ille decolor
Mortem propinquam respicit.

Quæ terra sulcis invia,
Dumis rigens & sentibus,
Lugubre munus protulit?
Quæ sæva messuit manus?

Christi rubescens sanguine,
Aculeos mutat rosis,
Palmamque vincens fructibus,
Spina est triumphis aptior.

Culpis satæ mortalium
Te, Christe, spinæ vulnerant:
Evelle nostras, cordibus
Tuasque nostris insere.

Qui nos creavit, laus Patri:
Laus, qui redemit Filio:
Qui nos fovet, laus Flamini:
Uni Deo sit gloria. Amen.

℣. Regnum tuum, Domine, regnum omnium sæculorum. ℟. Et Dominatio tua in omni generatione & generationem.

Ad Benedictus Antiph.

Coloss. 2. 15.

Christus expolians principatus & potestates, traduxit confidenter, palam triumphans illos in semetipso.

Ora-

Oratio.

Præsta, quæsumus, Omnipotens Deus, ut, qui in memoriam Passionis Domini nostri Jesu Christi coronam ejus spineam veneramur in terris; ab ipso gloria & honore coronari mereamur in cœlis. Qui tecum vivit & regnat.

Ad Primam.

Antiph. Vidi cœlum apertum.

In ℟. *br.* ℣. Qui passus es pro nobis.

Ad Tertiam.

Antiph. Oculi ejus.

Capitulum. Gaudens gaudebo. *ut supra in Laudibus.*

℟. *br.* Exiit Jesus * Portans spineam coronam. Exiit. ℣. Et purpureum vestimentum. * Portans. Gloria Patri. Exiit.

℣. Corona aurea super caput ejus. ℟. Expressa signo sanctitatis.

Oratio ut in Laudibus.

Ad Sextam.

Antiph. Vestitus erat.

Capitulum. *Isai.* 28.

In illa die erit Dominus Exercituum corona gloriæ, & sertum exultationis residuo populi sui.

℟. *br.* Corona aurea * Super caput ejus. Corona. ℣. Expressa signo sanctitatis. * Super. Gloria Patri. Corona.

℣. Eris corona gloriæ in manu Domini. ℟. Et diadema regni in manu Dei tui.

Ad Nonam.

Antiph. Data est ei corona.

Capitulum. *Apoc.* 14.

Vidi, & ecce nubem candidam, & super nubem sedentem similem Filio hominis, habentem in capite suo coronam auream.

℟. *br.* Eris corona gloriæ * In manu Domini.

Eris

Eris corona. ℣. Et diadema regni in manu Dei tui. * In manu. Gloria Patri. Eris corona.

℣. Virgam virtutis tuæ emittet Dominus ex Sion. ℟. Dominare in medio inimicorum tuorum.

IN II. VESPERIS.

I. Antiph. Gratia vobis & pax a Jesu Christo, qui est testis fidelis, & princeps regum terræ.

Psalmi ut in I. Vesperis, & loco ultimi, Ps. Credidi.

II. Antiph. Dilexit nos, & lavit nos a peccatis nostris in sanguine suo; & fecit nos regnum, & sacerdotes Deo Patri suo.

III. Antiph. Oportet illum regnare, donec ponat Deus omnes inimicos sub pedibus ejus.

IV. Antiph. Dum evacuaverit omnem principatum, novissima inimica destruetur mors.

V. Antiph. Eum, qui modico quam Angeli minoratus est, videmus Jesum propter passionem mortis, gloria & honore coronatum.

Capitulum, & Hymnus, ut supra in I. Vesperis.

℣. Gloria & honore coronasti eum, Domine. ℟. Omnia subjecisti sub pedibus ejus.

Ad Magnificat Antiph.

Ecce venit cum nubibus, & videbit eum omnis oculus, & qui eum pupugerunt.

Oratio ut supra.

Commem. S. Stephani Regis Conf.

Antiph. Similabo eum.

℣. Amavit eum.

Die IV. Septembris.

In Festo sancti Lazari a Christo resuscitati.

Duplex.

AD I. VESPERAS.

I. Antiph. Erat quidam languens Lazarus a Bethania, de Castello Mariæ

riæ & Marthæ Sororum ejus.

Psalmus: Dixit Dominus, *cum reliquis de Dominica, & loco ultimi, Psalmus:* Laudate Dominum omnes gentes.

II. Antiph. Miserunt sorores ejus ad Jesum dicentes: Domine, ecce quem amas, infirmatur.

III. Antiph. Infirmitas hæc non est ad mortem, sed pro gloria Dei, ut glorificetur Filius Dei per eam.

IV. Antiph. Lazarus amicus noster dormit: sed vado, ut a somno excitem eum.

V. Antiph. Domine, si dormit, salvus erit. Dixerat autem Jesus de morte ejus.

Capitulum. Ezech. 37.

Hæc dicit Dominus Deus: Ecce ego aperiam tumulos vestros, & educam vos de sepulchris vestris; & scietis, quia ego Dominus.

Hymnus.

Redditum luci, Domino vocante,
Lazarum, turbæ, domitamque mortem
Laudibus festis, modulisque sacri
Dicite cantus.

Ille, qui Christum meruit frequenti
Hospitem gaudens recreare mensa,
Fœtidus clauso, data præda morti,
Conditur antro.

Heu! tua præsens ope si jacenti,
Fata qui præscis, Deus, astitisses;
Viveret, necdum premerentur atra
Lumina nocte.

Jamque mors, vitæ Domino solutam,
Si jubes, reddet spoliata prædam:
Nunc & extinctus superas amicus
Surget ad auras.

Ecce

Ecce dilecti lacrymis honoras
Hospitis funus, fremitu-que prodis,
Quam pio plangas, Pater, impiorum
Corde ruinam.

Ut Patrem semper pia Spiritumque
Omne plebs Tecum celebret per ævum,
Christe, credentes animas secundæ
Eripe morti. Amen.

℣. Venite, & videte opera Domini. ℟. Quæ posuit prodigia super terram.

Ad Magnificat Antiphona.

Dixit Jesus manifeste: Lazarus mortuus est; & gaudeo, ut credatis; quoniam non eram ibi: sed eamus ad eum.

Oratio.

Deus, qui per Unigenitum tuum, beatum Lazarum quatriduanum mortuum de monumento resuscitasti: erige nos, quæsumus, de peccatorum tumulis: ut ab inferni faucibus soluti, ipsum in omnibus malis nobis imminentibus perpetuum apud Te Intercessorem & Protectorem sentiamus. Per eundem Dominum nostrum.

Commemor. 1. præced. Antiph. Hic Vir. ℣. Justum deduxit.

Et si venerit infra Octav. SS. Angelor. 2. Commem. Octavæ.

AD MATUTINUM.

Invitatorium.

Christum, qui beatum Lazarum a mortuis suscitavit. * Venite, adoremus. *Psalm.* Venite. *Hymnus, ut in I. Vesperis.*

In Primo Nocturno.

I. Antiph. Erat quidam languens Lazarus a Bethania, de Castello Mariæ & Marthæ sororum ejus.

Psal-

Psal. Beatus vir. *cum reliq. de Communi Confessoris Pontificis.*

II. Antiph. Maria erat, quæ unxit Dominum unguento, & extersit pedes ejus capillis suis, cujus frater Lazarus infirmabatur.

Ps. Quare fremuerunt.

III. Antiph. Miserunt sorores ejus ad Jesum dicentes: Domine, ecce quem amas, infirmatur.

Ps. Domine, quid multiplicati.

℣. Dominus opem ferat illi super lectum doloris ejus. ℟. Universum stratum ejus versasti in infirmitate ejus.

Lectiones de scriptura occurr. cum prop. ℟℟.

℟. *I.* Audiens Jesus quia Lazarus infirmabatur, dixit: * Infirmitas hæc non est ad mortem, sed pro gloria Dei, ut glorificetur Filius Dei per eam. ℣. Tentat vos Dominus Deus vester, ut palam fiat, utrum diligatis eum, an non, in toto corde, & in tota anima vestra. * Infirmitas hæc.

℟. *II.* Dixit Jesus discipulis suis: Lazarus amicus dormit; sed * Vado, ut a somno excitem eum: Dixerat autem de morte ejus. ℣. Numquid qui dormit, non adjiciet, ut resurgat? * Vado, ut.

℟. *III.* Dixit Jesus manifeste: * Lazarus mortuus est; & gaudeo, ut credatis; quoniam non eram ibi: sed * Eamus ad eum. ℣. Dilectus, vivens inter peccatores, translatus est: * Lazarus. Gloria Patri. * Eamus.

In Secundo Nocturno.

I. Antiph. Venit Jesus, & invenit Lazarum quatuor dies jam in monumento habentem.

Ps. Cum invocarem.

II. Antiph. Multi ex Judæis venerant ad Martham & Mariam, ut consolarentur eas de Fratre suo.

Psal.

Psal. Verba mea.

III. Antiph. Martha, ut audivit, quia Jesus venit, occurrit illi; Maria autem domi sedebat. *Psal.* Domine, Dominus noster.

℣. Caro mea requiescet in spe. ℟. Quoniam non derelinques animam meam in inferno.

Sermo sancti Joannis Chrysostomi.

Homil. 61. & 62. in Joann.

Lectio IV.

Multi, cum aliquos vident homines Deo acceptos in ærumnam quampiam, ut morbum, paupertatem, aut quid simile incidisse, perturbantur, nescii Dei amicis id maxime competere. Nam Lazarus ex Christi amicis erat, & infirmabatur; id quod dicebant ii, qui miserunt: *Ecce, quem amas, infirmatur.* Narrat autem Evangelista, sorores quoque ipsum amavisse; & tamen Lazarum mori permisit. Amabat autem Jesus Martham & Mariam & Lazarum. Ne unquam indignemur, vel ægre feramus, si viri virtute præditi in morbum incidant. Ecce, quem amas, infirmatur. In commiserationem Christum pertrahere volebant. Adhuc enim hominem esse putabant, quod ex dictis eorum arguitur: *Si fuisses hic, non fuisset mortuus;* neque dixerunt, Ecce Lazarus infirmatur; sed, *Ecce quem amas, infirmatur.* Quid ergo Christus? *Hæc infirmitas non est ad mortem, sed pro gloria Dei, ut glorificetur Filius Dei per eam.* Vide, quomodo rursum eamdem dicat gloriam suam, & Patris; cum enim dixisset, *Dei*, subdidit, *ut glorificetur filius Dei.*

℟. Dixit Martha ad Jesum: Domine si fuisses hic, frater meus non fuis-

fuisset mortuus; sed & nunc * Scio, quia quæcumque popoſceris a Deo, dabit tibi Deus. ℣. Exaudi orationem meam, Domine, & deprecationem meam: auribus percipe lacrymas meas. * Scio, quia.

Lectio V.

Venit ergo ad monumentum. Ait autem: *Tollite lapidem.* Cur non absens vocavit, & surgere jussit? Imo, cur non adhuc, superpoſito lapide, suscitavit? Nam qui poterat corpus mortuum voce movere, & animatum ostendere, multo magis voce lapidem removisset: qui vinctum fasciis, & impeditum voce, ut ambularet, effecit, longe facilius lapidem removisset. Cur non fecit? Ut ipsos miraculi testes faceret; ne idipsum dicerent, quod circa cœcum: *Hic est, non est hic.* Ipsæ namque manus, & quod venisset ad sepulchrum, testimonio erant eumdem ipsum esse. Quare si non eo advenissent, putaturi erant aut phantasma esse, aut alium, & non illum esse, quem videbant.

℟. Dixit Jesus Marthæ: Resurget frater tuus. Dixit ei Martha: * Scio, quia resurget in resurrectione in novissimo die. ℣. In manu Domini anima omnis viventis, & spiritus universæ carnis. * Scio quia resurget.

Lectio VI.

Nunc autem cum ad sepulchrum venerint, lapidem removerint, jussique ligatum a vinculis solverint, & amici qui ex sepulchro retulerant, ex pannis illum agnoverint, quod sorores non abscesserint, quod altera dixerit: *Jam fœtet, quatriduanus enim est;* jam hæc omnia abunde poterant improbos

ipsius miraculi testes cohibere. Ideo præcipit illis, ut lapidem a sepulchro amoverent, ostendens seipsum suscitare. Ideo etiam interrogat, *ubi posuistis eum?* Ut, qui dixerant, Veni & vide; & qui duxerunt illum, dicere non possint, alium fuisse suscitatum: ut & vox & manus testificarentur; vox dicendo, *Veni, & vide;* manus lapidem tollendo, & fascias solvendo; visus quoque & auditus: hic vocem audiendo, ille exeuntem videndo; olfactus quoque testis, qui odorem excepit: *Jam fœtet*, inquit, *quatriduanus enim est.* Res enim stupenda erat, quatriduanum & corruptum cadaver suscitare.

℟. Dixit Marthæ Jesus: ego sum resurrectio & vita. Credis hoc? Ait illi: utique, Domine, ego credidi quia * Tu es Christus Filius Dei vivi, qui in hunc mundum venisti. ℣. Tu es, Domine, qui vitæ & mortis habes potestatem, & deducis ad portas mortis, & reducis. * Tu es Christus.

Gloria Patri. * Tu es Christus.

In Tertio Nocturno.

I. Antiph. Qui credit in me, etiamsi mortuus fuerit, vivet.

Psal. Domine, quis habitabit.

II. Antiph. Omnis, qui vivit, & credit in me, non morietur in æternum.

Psal. Domine in virtute.

III. Antiph. Judæi secuti sunt Mariam dicentes: Quia vadit ad monumentum, ut ploret ibi.

Psal. Domini est terra.

℣. Numquid confitebitur pulvis veritatem tuam? ℟. Audivit Dominus, & misertus est mei.

Le-

Lectio sancti Evangelii secundum Joannem.

Lectio VII. *Cap.* 11.

In illo tempore: Erat quidam languens Lazarus a Bethania de Castello Mariæ & Marthæ sororum ejus. Et reliqua.

Homilia sancti Augustini Episcopi.

Tract. 49. *in Joannem.*

Inter omnia miracula, quæ fecit Dominus noster Jesus Christus, Lazari resuscitatio præcipue prædicatur. Sed si attendamus, quis fecerit: delectari debemus potius, quam mirari. Ille suscitavit hominem, qui fecit hominem. Ipse est enim Unicus Patris, per quem, sicut nostis, facta sunt omnia. Si ergo per illum facta sunt omnia, quid mirum est, si resurrexit unus per illum, cum tot quotidie nascantur per illum? Plus est homines creare, quam resuscitare. Dignatus est tamen, & creare, & resuscitare; creare omnes, resuscitare quosdam.

℟. Jesus ut vidit Mariam plorantem, & Judæos, qui venerant cum ea, plorantes, infremuit spiritu, & turbavit seipsum, & dixit: Ubi posuistis eum? Dicunt ei: * Domine, veni, & vide. ℣. Homo cum mortuus fuerit, & nudatus atque consumptus, ubi, quæso, est? * Domine, veni, & vide.

Lectio VIII.

Nam quem audistis magno miraculo quatriduanum mortuum suscitasse de sepulchro: veniet hora, sicut ipse ait, quando omnes qui sunt in monumentis, audient vocem ejus, & procedent. Resuscitavit putentem: sed tamen in cadavere putente adhuc erat forma membrorum. Ille in novissimo die ad

unam vocem cineres est redacturus in carnem; sed oportebat, ut modo aliqua faceret, quibus datis velut suæ virtutis indiciis, credamus in eum, & ad illam resurrectionem præparemur, quæ erit ad vitam, non ad judicium. Ita quippe ait: *veniet hora, quando omnes, qui in monumentis sunt, audient vocem ejus; & procedent, qui bona fecerunt, ad resurrectionem vitæ; qui mala egerunt, ad resurrectionem judicii.*

℟. Lacrymatus est Jesus. Dixerunt ergo Judæi: * Ecce quomodo amabat eum! ℣. Omni tempore diligit, qui amicus est, & frater in angustiis comprobatur. * Ecce quomodo.

Gloria Patri. * Ecce quomodo.

Lectio IX.

Unde supra, paulo post.

Admirantes audiebamus tanquam magni miraculi spectaculo ante oculos nostros constituto, cum Evangelium legeretur, quemadmodum revixerit Lazarus. Si attendamus mirabiliora opera Christi: *Omnis, qui credit, resurgit.* Si attendamus omnes, & intelligamus detestabiliores mortes: *Omnis, qui peccat, moritur.* Sed mortem carnis omnis homo timet; mortem animæ pauci. Pro morte carnis, quæ sine dubio quandoque ventura est, curant omnes, ne veniat; inde est, quod laborant. Laborat, ne moriatur homo moriturus: & non laborat, ne peccet homo in æternum victurus; & cum laborat, ne moriatur: sine causa laborat. Id enim agit, ut multum mors differatur, non ut evadatur. Si autem peccare nolit: non laborabit, & vivet in æternum. O si possemus excitare homi-

mines mortuos, & cum ipsis pariter excitari; ut tales essemus amatores vitæ permanentis, quales sunt homines amatores vitæ fugientis.

Te Deum laudamus.

AD LAUDES, *& per Horas.*

I. Antiph. Jesus venit ad monumentum Lazari. Erat autem spelunca, & lapis superpositus erat ei. Ait Jesus: Tollite lapidem.

Psal. Dominus regnavit. *cum reliquis.*

II. Antiph. Dicit Martha, soror ejus qui mortuus fuerat: Domine, jam fœtet; quatriduanus est enim.

III. Antiph. Dicit Marthæ Jesus: Nonne dixi tibi, quoniam, si credideris, videbis gloriam Dei?

IV. Antiph. Voce magna clamavit Jesus: Lazare veni foras; & statim prodiit, qui fuerat mortuus.

V. Antiph. Prodiit Lazarus, ligatus pedes & manus institis, & facies illius sudario erat ligata. Dixit Jesus: solvite eum.

Capitulum. *Ezech.* 37.

Hæc dicit Dominus Deus: Ecce ego aperiam tumulos vestros, & educam vos de sepulchris vestris; & scietis, quia ego Dominus.

Hymnus.

Panditur saxo tumulus remoto,
Intimos clamor penetrat recessus,
Et Deum sentit docili jubentem
Aure cadaver.

Proh stupor! notas repetit medullas
Spiritus; cæcam pedibus revinctus
Dum viam carpit, sibimet superstes
Prodit & hæres.

Ipsa sic ruptis inimica vinclis

Mors fugit, vinci patiens: futuris
Summa præludit tua sic triumphis,
Christe, potestas.

Ut Patrem semper pia Spiritumque
Omne plebs Tecum celebret per ævum,
Christe, credentes animas secundæ
Eripe morti. Amen.

℣. Eripuisti animam meam de morte. ℟. Ut placeam coram Deo in lumine viventium.

Ad Benedictus Antiph.

Joann. 11.

Multi ex Judæis, qui venerant ad Mariam & Martham, & viderant quæ fecerat Jesus, crediderunt in eum.

Oratio.

Deus, qui per Unigenitum tuum beatum Lazarum quatriduanum mortuum de monumento resuscitasti: erige nos, quæsumus, de peccatorum tumulis: ut ab inferni faucibus soluti, ipsum in omnibus malis nobis imminentibus perpetuum apud Te Intercessorem & Protectorem sentiamus. Per eundem Dominum.

Commem. octavæ SS. Angelor.

Ad Primam.

Antiph. Jesus venit ad monumentum.

Ad Tertiam.

Antiph. Dicit Martha.

Capitulum. Ezech. 37. Hæc dicit Dominus Deus &c. *ut supra.*

℟. *br.* De ventre inferi clamavi, * Et exaudisti vocem meam. De ventre. ℣. Projecisti me in profundum. * Et exaudisti. Gloria Patri. De ventre.

℣. Sublevabis de corruptione vitam meam. ℟. Domine Deus meus.

Oratio ex Laudibus.

Ad

Ad Sextam.

Antiph. Dicit Marthæ Jesus.

Capitulum. Thren. 3.

Lapsa est in lacum vita mea, & posuerunt lapidem super me. Inundaverunt aquæ super caput meum: Dixi, Perii: invocavi nomen tuum de lacu novissimo.

℟. *br.* Spera in Domino, * Et ipse faciet. Spera. ℣. Et dabit tibi petitiones cordis tui. * Et ipse. Gloria Patri. Spera in Domino.

℣. Dominus amat judicium. ℟. Et non derelinquet sanctos suos.

Ad Nonam.

Antiph. Prodiit Lazarus.

Capitulum. Osee 13.

De manu mortis liberabo eos, de morte redimam eos, ero mors tua, o mors! morsus tuus ero inferne.

℟. *br.* Humiliatus sum, * Et liberavit me Dominus. Humiliatus. ℣. Eripuit animam meam de morte. * Et liberavit. Gloria Patri. Humiliatus sum.

℣. Conscidisti saccum meum. ℟. Ut cantet tibi gloria mea.

I. Vesp. de sequenti, com. præc. si vero transfertur Officium S. Lazari. II. Vesperæ, ut sequitur.

AD II. VESPERAS.

Antiphonæ, Capitulum, Hymnus & Versus sicut in Laudibus.

Psalmi de Dominica, & loco ultimi, Ps. Laudate Dominum omnes gentes.

Ad Magnificat Antiph. Joann. 12. 9.

Turba multa ex Judæis venerunt Bethaniam, non propter Jesum tantum, sed ut Lazarum viderent, quem suscitavit a mortuis.

Oratio ut supra.

Die V. Septembris.

In Festo sanctæ Rosaliæ Virginis Panormitanæ.

Duplex majus per Germaniam.

In Romano 4. huj.

Omnia de communi Virginum, præter Lectiones secundi Nocturni, & orationem propriam; ut ad Calcem Breviarii Romani inter officia nova.

Oratio.

Exaudi nos Deus salutaris noster: ut sicut de beatæ Rosaliæ Virginis tuæ festivitate gaudemus; ita piæ devotionis erudiamur affectu, & ejus intercessione ab iracundiæ tuæ flagellis misericorditer liberemur. Per Dominum.

In I. Vesperis commem. S. Lazari

Antiph. Turba multa, *ut supra.*

℣. Eripuisti animam meam de morte. ℟. Ut placeam coram Deo in lumine viventium.

Oratio, Deus, qui per Unigenitum.

In Primo Nocturno.

Lectiones: De Virginibus præceptum. *Ut in Communi Virgin. Reliquæ Lect. ut in Breviario loco citato.*

In II. Vesp. comm. sequentis.

Die VI. Septembris.

In Festo sancti Albini Andegavensis Episc. & Confessoris.

Duplex.

Officium de Communi Confessoris Pontificis præter sequentia.

In hymno: Iste Confessor, *dic.* Meruit supremos.

Oratio.

Deus, qui animam famuli tui beati Albini Confessoris atque Pontificis per sanctos Angelos tuos ad te perduxisti; quæsumus: ut ejus meritis & precibus animas

mas nostras ad te, qui vere Paradisus es, clementer suscipere digneris. Per Dominum nostrum.

In Primo Nocturno.

Lectiones de scriptura occurrente.

In Secundo Nocturno.

Lectio IV.

Sanctus Albinus Episcopus Andegavensis, Oceani Venetæ regionis, nec non Britanniæ & Angliæ contermini indigena, non obscuris parentibus oriundus, a juventute in miram elegantiam tum vultus specie, cum corporis proceritate succrevit. Cumque per temporis incrementa annos pubertatis attigisset, factus est fama celebris, gratiaque comitante omnibus amabilis, & decore morum spectabilis. Is tanto fidei ardore flagrabat, ut parentes pro Christo sponte relinqueret, atque affectus carnales velut hostes animæ proculcaret, ut sic totum affectum in cœlesti desiderio solidaret.

℟. Inveni David servum meum, oleo sancto meo unxi eum: * Manus enim mea auxiliabitur ei. ℣. Nihil proficiet inimicus in eo, & filius iniquitatis non nocebit ei. * Manus enim.

Lectio V.

Eapropter anno ætatis suæ decimo quinto se in Monasterio Tincillacensi humiliter Religioni subdidit, vitæ nimirum semitam eligens tutiorem, ut retracto a lubricis pede, firmioribus posset incedere gressibus ad virtutem, seque ad Divina obsequia totum transferre. In Evangelicæ institutionis observantiam omnia sua convertebat studia, universasque actiones ad religiosæ regulæ placita sic dirigebat, ut per eas pervenire pos-

set ad requiem post laborem. Obedientiæ deditissimus erat, moribus gravis, & in ipsa juvenili ætate jam senibus virtutum exemplar præbebat.

℟. Posui adjutorium super potentem, & exaltavi electum de plebe mea. * Manus enim mea auxiliabitur ei. ℣. Inveni David servum meum, oleo sancto meo unxi eum. * Manus enim.

Lectio VI.

Quin corporis munditiem, & Virginitatis thesaurum servavisse illibatum, & neque mentis, neque corporis passum fuisse corruptelam, nec ullius mortalis noxam criminis unquam contraxisse, firma Confessorum suorum assertio fuit. Clarus præterea ingenio, non solum in scientia, sed & morum honestate præcelluit adeo, ut animos, velut profusis virtutum aromatibus, attraheret, dulcedineque sermonis quasi favus redundans, copioseque distillans suavia semper propinaret documenta. Meminit virtutum ejus Martyrologium Romanum ad diem primam Martii, inquiens: Andegavi sancti Albini Episcopi & Confessoris, viri præclarissimæ virtutis, & sanctitatis.

℟. Iste est, qui ante Deum magnas virtutes operatus est, & omnis terra doctrina ejus repleta est: * Ipse intercedat pro peccatis omnium populorum. ℣. Iste est, qui contempsit vitam mundi, & pervenit ad cœlestia regna. * Ipse. Gloria Patri. * Ipse.

In Tertio Nocturno.

Lectio sancti Evangelii secundum Lucam.

Lectio VII. *Cap. 19.*

In illo tempore: Dixit JESUS discipulis suis pa-

parabolam hanc: Homo quidam nobilis abiit in regionem longinquam accipere sibi regnum, & reverti. Et reliqua.

Homilia Venerabilis Bedæ Presbyteri.

Ex Comment. in Luc. lib. 5. cap. 78.

Homo nobilis ille est, cui cæcus supra clamabat: *Fili David miserere mei.* Longinqua regio, Ecclesia est ex Gentibus, de qua eidem homini nobili, qui loquitur: *Ego autem constitutus sum Rex ab eo*, dicitur a Patre: *Postula a me, & dabo tibi Gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ.* Quæ videlicet hæreditas ac possessio bifaria ratione regio longinqua vocatur: vel quia a finibus terræ clamat ad Dominum; vel quia longe est a peccatoribus salus. Et cum Deus ubique sit præsens, longe tamen ab eorum sensu, qui idola colunt, Deus verus abest.

℟. Amavit eum Dominus, & ornavit eum: stolam gloriæ induit eum, * Et ad portas paradisi coronavit eum. ℣. Induit eum Dominus loricam fidei, & ornavit eum. * Et ad portas.

Lectio VIII.

Vocatis autem decem servis suis. Denarius numerus ad legem pertinet propter Decalogum. Vocat itaque paterfamilias decem servos, quia eligit discipulos per litteram legis imbutos. Dat illis decem mnas: quia legis dicta spiritualiter intelligenda revelat. Post passionem quippe, resurrectionemque suam aperuit illis sensum, ut intelligerent scripturas. Mina namque, quam Græci mnam vocant, centum drachmis appenditur: & omnis scripturæ sermo, qui vitæ cœlestis perfectionem suggerit; quasi

quasi numeri centenarii pondere fulgescit.

℟. Sint lumbi vestri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus vestris: * Et vos similes hominibus expectantibus dominum suum, quando revertatur a nuptiis. ℣. Vigilate ergo, quia nescitis, qua hora Dominus vester venturus sit. * Et vos. Gloria Patri. * Et vos.

Lectio IX.

Negotiamini, dum venio. Verba, inquit, legis ac Prophetarum mystica interpretatione discussa populis offerte, atque ab eis fidei confessionem, morumque probitatem recipite, juxta quod Psalmista suis auditoribus præcipit, dicens: *Sumite psalmum, & date tympanum.* Hoc est, laudem prædicationis in cordis intentione percipite, & devotionem operis in carnis castigatione redhibete. Tympanum quippe est pellis in ligno extenta. Pellis vero in ligno extenta, caro est nostra ad exemplum Dominicæ crucis afflicta.

Te Deum laudamus.

In II. Vesp. comm. sequentis.

Die VII. Septembris.

(*in Romano 5. ejusd.*)

Sancti Laurentii Justiniani Episcopi Confessoris.

Semiduplex.

Omnia ut in Romano die 5. Sept. In hymno: Iste Confessor, *mutatur 3. Versus.*

Die XIII. Septembris.

Sexta die infra Octavam Nativitatis B. V. M.

Pro Commemoratione Sancti Materni Episcopi Confessoris.

Ad Vesp. Antiph. Sacerdos & Pontifex. ℣. Amavit eum.

Ora-

Oratio.

Deus, qui beatum Maternum Confessorem tuum, atque Pontificem per merita beati Petri Apostoli tui, quadragesimo die a morte resuscitasti; & eundem exinde per annos quadraginta Pontificali infula decorasti; tribue, quæsumus: ut quem tot miraculis in terra coruscare videmus; ejus apud tuam misericordiam precibus adjuvemur. Per Dominum.

In Laudibus pro Commem.

Antiph. Euge serve bone.

℣. Justum deduxit.

Oratio ut supra.

Die XVII. Septembris.

In Festo Impressionis SS. Stigmatum.

Pro Commemoratione Sancti Lamberti Episc. & Martyris.

In I. Vesp. Antiph. Iste sanctus.

℣. Gloria, & honore.

Oratio.

Deus, qui hujus diei venerandam solennitatem in beati Lamberti Martyris tui atque Pontificis transitu decorasti; adesto familiæ tuæ precibus, & da: ut, cujus hodie festa celebramus, ejus meritis & intercessionibus adjuvemur. Per Dominum.

Lectio IX.

Lambertus ex insigni prosapia in oppido Trajectensi ortus, & a sancto Theodardo Trajectensi Episcopo ad omnem pietatem informatus, pompam seculi magno calcabat animo, & quicquid habere poterat, in pauperes erogabat. Episcopo ab impiis interfecto, ab universa plebe, licet varie reluctans in Episcopum assumitur. Quem apicem adeptus ipsa etiam studuit pietatis opera augere. Childerico Francorum Rege, qui

qui eum præcipuo honore prosequebatur, ab invidis occiso, Lambertus per Ebroinum Tyrannum e sede sua exturbatur. Itaque in monasterio Stabulensi per septennium monachi vitam agens, post interfectionem Ebroini, summa omnium gratulatione revocatus, ad propriam sedem est reversus. Demum cum Pipinum Regem ob pellicem, quacum, repudiata conjuge, vivebat, libere increparet; illa moleste ferens Regem a sui amore revocari, per Dodonem fratrem curat sanctum Episcopum ante altare, brachiis instar Crucifixi expansis, occidi. Cujus sacrum corpus Trajecti prius tumulatum, per sanctum Hubertum ejusdem discipulum, in villam Legiam, ubi occisus fuerat, translatum est.

Te Deum laudamus.

In Laudibus pro Commem. ejusdem.

Antiph. Qui odit animam suam.

℣. Justus ut palma.

Oratio ut supra.

Die XXII. Septembris. In Festo SS. Mauritii, & Sociorum Martyrum.

Duplex majus.

Omnia de Communi plurimor. MM. præter Lectiones II. Nocturni propr.

Oratio ut in Romano.

Pro Commemoratione Sancti Emmerami Episcopi & Martyris.

In Vesp. Antiph. Iste sanctus.

℣. Gloria & honore.

Oratio.

Deus, qui beatum Emmeramum Martyrem tuum atque Pontificem inter vincula liberum, inter tormenta securum, gratiæ tuæ ubertate fecisti; quæsumus clementiam tuam: ut in no-

nobis flammas corporalium passionum, misericordiæ tuæ imbre extinguas, & ignem beatæ charitatis clementer infundas. Per Dominum.

In Primo Nocturno.

Lectiones: Fratres, debitores sumus. *de Communi plur. MM.*

In Secundo Nocturno.

Lectio IV.

Sub Maximiano, qui a Diocletiano collega adscitus Imperio, statim in Gallias est profectus, erat in exercitu legio militum, qui Thebæi appellabantur. Hi in auxilium novo Imperatori ab Orientis partibus acciti venerant, viri in rebus bellicis strenui, nobiles virtute, sed nobiliores fide, Evangelici præcepti etiam sub armis non immemores. Maximianus sacrificaturus idolis Octodurum convenire exercitum jussit, atroci proposita jussione, ut per aras dæmonibus consecratas jurarent. Soli id Thebæi detrectare ausi sunt. Eo itaque cognito, Maximianus Agaunum mittit, ubi octavo ab Octoduro milliari inter Alpina juga consederant, & decimum quemque ex Legione ob neglecta imperia gladio feriri jubet, ceteros parére mandatis.

℟. Sancti tui Domine mirabile consecuti sunt iter, servientes præceptis tuis, ut invenirentur illæsi in aquis validis. * Terra apparuit arida, & in mari rubro via sine impedimento. ℣. Quoniam percussit petram, & fluxerunt aquæ, & torrentes inundaverunt. * Terra.

Lectio V.

Ubi ad Thebæos denuntiatio iterata pervenit, vociferatio passim in castris exoritur, se idolorum profana sacra semper detestaturos; extre-

trema experiri satius esse, quam adversus Christianam fidem venire. His compertis, Maximianus imperat, ut iterum decimus eorum morti detur, & ceteri nihilominus ad ea, quæ spreverant, compellantur. Percussus est itaque, qui decimus sorte obvenerat. Flagrabat in illis martyrii glorioſus ardor, suadente inprimis sancto Mauritio tunc primicerio Legionis, qui cum Exsuperio campi ductore & Candido senatore militum exhortabatur singulos, ut pro sacramento Christi animas ultro profunderent, sequerenturque contubernales, qui jam in cœlum præcesserant. Itaque hæc Maximiano mandata mittunt, sicut pia, ita & fortia: Milites sumus, Imperator, tui; sed tamen servi Dei. Tibi militiam debemus, illi innocentiam: tenemus ecce arma, & non resistimus. Si quid in nos ultra statueris, ignes, tormenta, ferrum subire parati sumus; Christianos nos fatemur.

℟. Verba carnificum non timuerunt sancti Dei, morientes pro Christi nomine: * Ut hæredes fierent in domo Domini. ℣. Tradiderunt corpora sua propter Deum ad supplicia. * Ut hæredes.

Lectio VI.

Maximianus desperans glorioſam eorum constantiam posse revocari, una sententia interfici omnes decrevit, & rem confici circumfusis agminibus jubet. Cædebantur itaque passim gladiis, non reclamantes saltem, aut repugnantes, sed depositis armis, cervices persecutoribus vel intectum corpus offerentes. Non vel ipsa suorum multitudine elati sunt, ut ferro conarentur

tur asserere justitiæ caussam: sed hoc solum reminiscentes se illum confiteri, qui nec reclamando ad occisionem ductus est, & tanquam agnus non aperiens os suum; ipsi quoque tanquam grex Dominicarum ovium laniari se tanquam ab irruentibus lupis passi sunt. Revelata sunt post annos fere centum eorum corpora sancto Theodoro Octodurensi Episcopo, qui concilio Aquilejensi sub sancto Ambrosio subscripsit, & hinc delatæ varias in partes eorum reliquiæ, & diffusa veneratio est.

℟. Tanquam aurum in fornace probavit electos Dominus, & quasi holocausti hostiam accepit illos: & in tempore erit respectus illorum: * Quoniam donum & pax est electis Dei. ℣. Qui confidunt in illum, intelligent veritatem: & fideles in dilectione acquiescent illi. * Quoniam. Gloria Patri. * Quoniam.

In Tertio Nocturno.

Homilia in Evangelium: Cum audieritis prælia, *de Communi MM.*

In Laudibus pro Commem. Sancti Emmerami Episc. M.

Antiph. Qui odit animam suam.

℣. Justus ut palma.

Oratio ut supra.

In II. Vesperis commem. de sequenti, ut infra.

Die XXIII. Septembris.

In Festo sancti Victoris Martyris.

Duplex.

Officium de Communi unius M. præter sequentia.

In II. Vesp. SS. Mauritii, & Soc. MM. Pro Commem. 1.

Antiph. Iste sanctus.

℣. Gloria, & honore.

Oratio.

Adesto Domine supplicationibus nostris:

ut, qui ex iniquitate nostra reos nos esse cognoscimus; beati Victoris Martyris tui intercessione liberemur. Per Dominum.

2. *Commem. S. Theclæ V. & M. ut in Romano.*

In Primo Nocturno.

Lectiones de scriptura occurrente.

In Quatuor Temporibus vero Lect. I. Noct. Fratres, debitores. *de Communi plurimorum Martyrum.*

℟℟. *de Communi unius Martyris.*

In Secundo Nocturnō.

Lectio IV.

Postquam sanctorum Thebæorum Martyrum legio, jussu Maximiani Imperatoris ob Christi fidem trucidata esset, isque inter occisorum corpora hilarius ex prædis eorum epulaturus consedisset; accidit, ut veteranus quidam, pariter Christianus, nomine Victor, eo loci causa itineris, deveniret. Cumque pro ætatis veneratione ad coëpulandum a considentibus invitaretur, quæsiit ab eis tam insolitæ inter stragem hanc lætitiæ causam; simul & intellexit, quod legio Thebæa, quæ Christianæ legis studio, cæremonias Romanas, cultumque Deorum contempsisset, tali animadversione mulctata esset.

℟. Honestum fecit illum Dominus, & custodivit eum ab inimicis, & a seductoribus tutavit illum: * Et dedit illi claritatem æternam. ℣. Descenditque cum illo in foveam, & in vinculis non dereliquit eum. * Et dedit.

Lectio V.

Quod ubi Victor inaudiit; altum ingemiscens, atque ex animo detestatus convivas, exclamavit: Heu me mise-

ſerum, qui per tot annorum militiam, ad hanc infelicem ætatem deveni, & in hac legione militare non merui! Quam bonum inter eos, & glorioſum vitæ finem nunc ſortitus fuiſſem! Quorum ſi commilitonis nomine indignus eram; ſaltem vel ante cædem ipſorum, me neceſſitas viæ huc detuliſſet: ut ſenilis meus peccatoris cruor tantorum virorum victimis ſimul miſceretur! Obtuliſſem hoc corpus meum neci; dummodo tantæ laudis conſortium obtinuiſſem.

℟. Deſiderium animæ ejus tribuiſti ei Domine, * Et voluntate labiorum ejus non fraudaſti eum. ℣. Quoniam prævenisti eum in benedictionibus dulcedinis: poſuiſti in capite ejus coronam de lapide pretioſo. * Et voluntate.

Lectio VI.

Talia dicentem, mox profanorum turba vallat, & num Chriſtianus ſit? reſpondere jubet. Ille vero oculis in cœlum erectis, ait: Longus me vivendi uſus usque ad hanc, quam videtis, ætatem perduxit. Totus hic mundus caligine merſus, & circumfluentibus tenebris obvolutus eſt: niſi nobis aut Chriſtus viam oſtenderit, aut lumen ipſius affulſerit; periimus. Quamobrem conteſtor, ſi me ad horam trucidatæ legionis, itineris neceſſitas huc detuliſſet, omnibus epulis veſtris eorum conſortium prætuliſſem. Sed etiam nunc præſtabit Chriſtus, ut Chriſtianum me poſt confeſſionem, ulterius per beata funera tranſire non ſinatis. Hæc eum cum fiducia, & conſtanti animo ſic proloquentem ſubito furibundi percuſſoris obtruncavit inſania; & beatus Martyr, uti nomi-

ne, sic & re Victor, celeri hac confessione meruit loco eodem Martyrii simul consortium, & palmam obtinere.

℟. Stola jucunditatis induit eum Dominus: * Et coronam pulchritudinis posuit super caput ejus. ℣. Cibavit illum Dominus pane vitæ, & intellectus: & aqua sapientiæ salutaris potavit illum. * Et coronam. Gloria Patri. * Et coronam.

In Tertio Nocturno.

Homilia in Evangelium: Si quis vult post me venire. *de Communi unius Martyris secundo loco.*

IX. Lectio de sancta Thecla V. M. ut in Breviario Romano.

Et in Laudibus ejusdem commem.

Antiph. Simile est regnum cœlorum.

℣. Diffusa est gratia.

Oratio: Da, quæsumus.

Si vero venerit in Quatuor temporibus: IX. Lectio erit de Homilia Feriæ, ac in Laudibus 1. commem. ejusdem. 2. Comm. S. Theclæ.

I. Vesperæ de sequenti, comm. præc.

Die XXIV. Septembris.

In Festo Gaudiorum B. V. MARIÆ.

Duplex majus.

AD I. VESPERAS.

Antiph. Lauda, & lætare. *cum reliquis de Laudibus.*

Psalmi ex Officio parvo B. Mariæ V.

Capitulum. *Isaiæ. 61.* Gaudens gaudebo in Domino, & exultabit anima mea in Deo meo; quia induit me vestimentis salutis, & indumento justitiæ circumdabit me quasi sponsam ornatam monilibus suis.

Hym-

Hymnus.

Gaude Virgo Mater Christi,
Quia Jesum concepisti
Gabriele nuncio.

Gaude Mater Deo plena,
Novo gignens sine pœna
Fœtum puerperio.

Gaude, quod ab oriente
Magi stella prælucente
Dona ferunt Filio.

Gaude, quia dulcis Nati,
Quem vidisti mortem pati,
Fulget resurrectio.

Gaude, Cœlos ascendente
Nato, vides quem repente
Ferri motu proprio.

Gaude, quia Paracletus
Missus cœlo, novos fœtus
Igne format Entheo.

Gaude, quæ post Christum scandis
Astra Cœli, atque grandis
Nati fis consortio.

O fac Fructu ventris tui
Per te nobis detur frui
In perenni gaudio.
Amen.

Hymni Horarum terminantur: Jesu, tibi sit gloria.

℣. Dignare me laudare te virgo sacrata.
℟. Da mihi virtutem contra hostes tuos.

Ad Magnificat Antiphona.

Beatam me dicent omnes generationes, quia fecit mihi magna, qui potens est, & sanctum nomen ejus.

Oratio.

Deus, qui hodiernæ diei jucunditatem in Jesu Christi & Mariæ laudibus nos venerari fecisti; præsta quæsumus: ut, qui ejusdem Matris Gaudiorum memoriam celebramus; a piissimi Filii tui, & Matris ejus gratia nunquam excidamus. Per eundem.

Commem. S. Victoris Martyris.

Antiph. Qui vult venire.

℣. Justus ut palma.

Oratio ut supra pag. 225.

AD MATUTINUM.

Invitatorium.

Gaudia glorioſæ recolentes Virginis, Chriſtum ejus Filium. * Venite, adoremus.

Pſal. Venite, exultemus.

Hymnus.

Gaude Virgo Mater Chriſti. *ut ſupra in I. Veſperis.*

Antiphonæ, & Pſalmi Nocturnorum, ut in Officio parvo B. Mariæ V.

In Primo Nocturno.

℣. Specie tua, & pulchritudine tua. ℟. Intende, proſpere procede, & regna.

De Proverbiis Salomonis.

Lectio I. *Cap.* 31.

Fortitudo & decor indumentum ejus, & ridebit in die noviſſimo. Os ſuum aperuit ſapientiæ, & lex clementiæ in lingua ejus. Conſideravit ſemitas domus ſuæ, & panem otioſa non comedit. Surrexerunt filii ejus, & beatiſſimam prædicaverunt; vir ejus, & laudavit eam. Multæ filiæ congregaverunt divitias: tu ſupergreſſa es univerſas.

℟. Ave, gratia plena; Dominus tecum: benedicta tu in mulieribus. * Ecce concipies in utero, & paries Filium. ℣. Lætare, & exulta Filia Sion, rex Iſrael Dominus in medio tui; noli timere. * Ecce concipies.

De Canticis Canticorum.

Lectio II. *Cap.* 7.

Quam pulchra es, & quam decora chariſſima in deliciis? Statura tua aſſimilata eſt palmæ, & ubera tua botris. Dixi: Aſcendam in palmam, & apprehen-

hendam fructus ejus; & erunt ubera tua sicut botri vineæ, & odor oris tui, sicut malorum. Guttur tuum sicut vinum optimum, dignum dilecto meo ad potandum, labiisque & dentibus illius ad ruminandum.

℟. Impleti sunt dies Mariæ, ut pareret; & peperit filium suum primogenitum. * Gaudete, & laudate simul, quia consolatus est Dominus populum suum. ℣. Egrediatur ut splendor justus Sion, tanquam sponsus procedens de thalamo suo. * Gaudete.

Lectio III. *Cap.* 8.

Quæ est ista, quæ ascendit de deserto, deliciis affluens, innixa super dilectum suum? Sub arbore malo suscitavi te: ibi corrupta est mater tua, ibi violata est genitrix tua. Pone me, ut signaculum super cor tuum, ut signaculum super brachium tuum: quia fortis est, ut mors, dilectio; dura sicut infernus æmulatio; lampades ejus, lampades ignis atque flammarum.

℟. Civitas Dei luce splendida fulgebis: * Nationes ex longinquo ad te venient, & * Munera deferentes adorabunt Dominum. ℣. Videbis, & affluues, & mirabitur, & dilatabitur cor tuum, quando conversa fuerit ad te fortitudo gentium. * Nationes. Gloria Patri. * Munera.

In Secundo Nocturno.

℣. Adjuvabit eam Deus vultu suo. ℟. Deus in medio ejus non commovebitur.

Sermo S. Augustini Episcopi.

Serm. 18. *de sanctis, qui est* 2. *de Annuntiatione Dominica.*

Lectio IV.

Adest nobis, dilectissimi,

mi, optatus dies beatæ ac venerabilis semper Virginis Mariæ; ideoque cum summa exultatione gaudeat terra nostra tantæ Virginis illustrata gaudiis. Hæc est enim flos campi, de qua ortum est lilium pretiosum convallium: per cujus partum mutatur natura protoplastorum, deletur & culpa. Præcisum est in ea illud Evæ infelicitatis elogium, quo dicitur: *In dolore paries filios tuos:* quia ista in lætitia Dominum peperit. Eva enim luxit; ista exultavit: Eva lacrymas, Maria gaudium in ventre portavit: quia illa peccatorem; ista edidit innocentem.

℟. Tulerunt parentes Jesum in Jerusalem, ut sisterent eum Domino; * Et erant mirantes super his, quæ dicebantur de illo. ℣. Exulta Filia Sion: Ecce Rex tuus veniet tibi justus & Salvator. * Et erant mirantes.

Lectio V.

Virgo quippe genuit, quia virgo concepit: inviolata peperit, quia in conceptu libido non fuit. Utrobique miraculum; & sine corruptione gravida, & in partu Virgo puerpera. Descendit Angelus de cœlo missus a Deo Patre in nostræ redemptionis exordium, ad beatam salutando Mariam: *Ave,* ait, *gratia plena, Dominus tecum.* Impleta est ergo gratiâ, & Evæ evacuata est culpa: maledictio Evæ in benedictionem mutatur Mariæ. *Ave,* inquit, *gratia plena, Dominus tecum.* Tecum Dominus in corde, tecum in ventre, tecum in utero, tecum in auxilio. Gratulare beata Virgo! Christus Rex e Cœlo suo incarnatur in utero tuo: ex sinu Patris in uterum dignatur descendere Matris.

℟. Surrexit Christus &

& apparuit multis. * Ego sum primus & novissimus; & vivus, & fui mortuus, & ecce sum vivens in secula seculorum. ℣. Secundum multitudinem dolorum consolationes tuæ lætificaverant animam meam. * Ego sum.

Lectio VI.

Benedicta tu, inquit, in mulieribus, quæ vitam & viris & mulieribus peperisti. Mater generis nostri pœnam intulit mundo; Genitrix Domini nostri salutem attulit mundo. Auctrix peccati Eva; auctrix meriti Maria. Eva occidendo obfuit; Maria vivificando profuit. Illa percussit, Ista sanavit. Pro inobedientia enim obedientia commutatur; fides pro perfidia compensatur. Læta igitur Maria gestat infantem, exultans amplexatur Filium; portat, a quo portabatur. Nec fortuito, ut fingunt Sabelliani, reperit parvulum; sed decursis novem mensibus peperit Christum. Plaudat nunc organis Maria, & inter veloces articulos tympana puerperæ concrepent: concinant lætantes chori, & alternantibus modulis dulcissima carmina misceantur.

℟. Dum benediceret Jesus discipulis, recessit ab eis, & ferebatur in cœlum. * Illi adorantes regressi sunt in Jerusalem cum gaudio magno. ℣. De fructu ventris tui ponam super sedem tuam. * Illi adorantes. Gloria Patri. * Illi adorantes.

In Tertio Nocturno.

℣. Elegit eam Deus, & præelegit eam. ℟. In tabernaculo suo habitare facit eam.

Lectio sancti Evangelii secundum Lucam.

Lectio VII. *Cap.* 1.

In illo tempore: Ait Maria: Magnificat a-

nima mea Dominum, & exultavit spiritus meus in Deo Salutari meo. Et reliqua.

Homilia Venerabilis Bedæ Presbyteri.

Ex Comment. in Luc. cap. I.

Præteritorum se notitiam accepisse signavit, quæ & verba Angeli ad Mariam, & consensus Mariæ credentis sibi innotuisse prodidit. Sed & futurorum scientiam sibi non negatam intimavit, cum perficienda a Domino, quæ ei dicta essent, aperuit. Quis autem fratres mei dicere, quis æstimare sufficiat, quæ tunc gratia Spiritus sancti Dei Genitricem repleverit, cum tanta, in matre Præcursoris, lux doni cœlestis emicuit?

℟. Erant Apostoli perseverantes unanimiter in Oratione cum mulieribus & Maria Matre Jesu; * Et repleti sunt omnes spiritu sancto. ℣. Unxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ præ consortibus tuis. * Et repleti sunt.

Lectio VIII.

Verum audiamus verba, quæ Virgo dixit; si forte ex his valeamus aliquantulum dignoscere, quid intus habuerit. Audita ergo resplonsione Elisabeth, qua eam beatam inter mulieres prædicavit, Matrem Domini sui cognominavit, fide fortem laudavit, ad cujus ingressum seipsam cum filio, Spiritu sancto repletam esse signavit; non amplius tacere potuit dona, quæ perceperat, sed quæ semper animo gerebat; ubi aptum tempus invenit, etiam devota oris professione patefecit.

℟. Apertum est templum Dei in Cœlo. * Et signum magnum apparuit in Cœlo: Mulier amicta sole & luna sub pe-

pedibus ejus, & * In capite ejus corona stellarum duodecim. ℣. Astitit Regina a dextris tuis, Deus, in vestitu deaurato, circumdata varietate. * Et signum. Gloria Patri. * In capite.

Lectio IX.

Namque ut virginalem decebat pudorem, acceptum divinitus oraculum aliquamdiu silentio tegebat; arcana mysterii cœlestis in sui pectoris abdito venerabatur occultum; expectabat reverenter, donec ipse donorum Distributor, quid sibi boni specialis tribuisset, quid secreti revelasset, quandocunque vellet, ostenderet: at postquam eadem, quæ sibi erant charismata præstita, per alios Spiritu revelante, esse patefacta cernebat; mox ipsa etiam thesaurum cœli, quem in corde servabat, aperuit. Ait ergo: *Magnificat anima mea Dominum: & exultavit spiritus meus in Deo salutari meo.*

Te Deum laudamus.

AD LAUDES,
& per Horas
Antiphonæ.

I. Antiph. Lauda & lætare, Filia Sion, quia ecce venio, & habitabo in medio tui.

Psalm. Dominus regnavit. *cum reliquis de Dominica.*

II. Antiph. Beata quæ credidisti, quoniam perficientur ea, quæ dicta sunt tibi a Domino.

III. Antiph. Convertisti planctum meum in gaudium mihi, & circumdedisti me lætitia.

IV. Antiph. Unxit te Deus, Deus tuus, oleo lætitiæ præ consortibus tuis.

V. Antiph. Fortitudo & decor indumentum ejus, & ridebit in die novissimo.

Ca-

Capitulum. *Sophon.* 3.

Lætare, & exulta in omni corde filia Jerusalem: abstulit Dominus judicium tuum; avertit inimicos tuos: Rex Israel Dominus in medio tui.

Hymnus.

O glorioſa Virginum,
Sublimis inter ſidera:
Qui te creavit, parvulum
Lactante nutris ubere.

Quod Eva triſtis abſtulit,
Tu reddis almo germine;
Intrent ut aſtra flebiles,
Cœli reclúdis cardines.

Tu Regis alti janua
Et aula lucis fulgida:
Vitam datam per Virginem
Gentes redemptæ plaudite.

Jeſu, tibi ſit gloria,
Qui natus es de Virgine,
Cum Patre, & almo Spiritu,
In ſempiterna ſecula. Amen.

℣. Diffuſa eſt gratia in labiis tuis. ℟. Propterea benedixit te Deus in æternum.

Ad Benedictus Antiph.

Luc. 1.

Exultavit ſpiritus meus in Deo Salutari meo.

Oratio.

Deus, qui hodiernæ diei jucunditatem in Jeſu Chriſti & Mariæ laudibus nos venerari feciſti; præſta, quæſumus: ut, qui ejusdem Matris Gaudiorum memoriam celebramus: a piiſſimi Filii tui & Matris ejus gratia nunquam excidamus. Per eundem.

Ad Primam.

Antiph. Lauda, & lætare.

In ℟. brevi dicitur ℣. Qui natus es de Maria Virgine.

Ad Tertiam.

Antiph. Beata, quæ credidiſti.

Ca-

Capit. Lætare, & exulta. *ut in Laudibus.*

℟. *br.* Specie tua, * Et pulchritudine tua. Specie. ℣. Intende, prospere procede, & regna. * Et pulchritudine. Gloria Patri. Specie tua.

℣. Adjuvabit eam Deus vultu suo. ℟. Deus in medio ejus non commovebitur.

Ad Sextam.

Antiph. Convertisti planctum.

Capitulum. Psal. 86.

Fundamenta ejus in montibus sanctis: diligit Dominus portas Sion super omnia tabernacula Jacob. Gloriosa dicta sunt de te civitas Dei. Lætantium omnium habitatio est in te.

℟. *br.* Adjuvabit eam, * Deus vultu suo. Adjuvabit. ℣. Deus in medio ejus, non commovebitur. * Deus vultu. Gloria Patri. Adjuvabit.

℣. Elegit eam Deus, & prælegit eam. ℟. In tabernaculo suo habitare facit eam.

Ad Nonam.

Antiph. Fortitudo & decor.

Capitulum. Judith. 13.

Nomen tuum Dominus ita magnificavit, ut non recedat laus tua de ore hominum, qui memores fuerint virtutis Domini in æternum.

℟. *br.* Elegit eam Deus, * Et prælegit eam. Elegit. ℣. In tabernaculo suo habitare facit eam. * Et prælegit. Gloria Patri. Elegit.

℣. Diffusa est gratia in labiis tuis. ℟. Propterea benedixit te Deus in æternum.

I. Vesperæ de sequenti, nihil de præcedenti.

Si vero Officium Gaudiorum B. V. alicubi propter festum Dedicationis, Patroni, aut Tituli Ecclesiæ transferri contingat: Secun-

cundæ Vesperæ erunt, ut hic notatur.

IN II. VESPERIS.

Omnia ut in primis. pag. 228.

℣. Dignare me, laudare te.

Ad Magnificat Antiph.

Judith. 13. 22.

Benedixit te Dominus in virtute sua, qui per te ad nihilum redegit inimicos nostros.

Oratio ut supra.

Die XXV. Septembris.

in Romano heri.

In Festo beatissimæ Virginis Mariæ de Mercede.

Duplex majus.

a Benedicto XIII. 22. Martii 1727.

Omnia ut in Romano.

Commem. nulla.

Die XXVIII. Septembris.

In Festo sancti Wenceslai Bohemiæ Ducis, & Martyris.

Dupl. II. Classis cum Octava.

Omnia ut in Romano.

In Primo Nocturno.

Lectiones: Fratres, debitores, *de Communi plur. Martyrum.* ℟℟. *de Communi unius M.*

Die XXIX. Septembris.

In Festo sancti Michaëlis Archangeli.

In I. Vesp. Commem. præcedentis tant.

Antiph. Qui vult venire.

℣. Justus ut palma.

In II. Vesperis Commem. sequentis tantum.

Die XXX. Septembris.

In Festo sancti Hieronymi Presbyteri Confessoris & Ecclesiæ Doctoris.

Dupl. II. Classis cum Octava.

Omnia ut in Romano.

In II. Vesperis Commem. sequentis tantum ut infra.

Octo-

OCTOBER.

Die I. Octobris.

In Festo sanctorum Remigii, Germani, & Vedasti, Pontificum & Confessorum.

Semiduplex.

Officium de Communi Confessoris Pontificis, præter ea, quæ hic habentur propria.

In hymno: Iste Confessor, *dicitur:* meruit supremos.

Antiph. Sacerdos, & Pontifex.

℣. Amavit eum.

Oratio.

Da, quæsumus omnipotens Deus, ut beatorum Remigii, Germani, & Vedasti Confessorum tuorum atque Pontificum veneranda solemnitas, & devotionem nobis augeat, & salutem. Per Dominum.

In Primo Nocturno.

Lectiones de scriptura occurrente.

In Secundo Nocturno.

Lectio IV.

Remigius, Episcopus Rhemensis, floruit Clodoveo rege Francorum, quem etiam baptizavit, & primus omnium doctrina & miraculis Francos ad Christi Domini fidem perduxit. Ejus oratione mortua puella revixit. Multos interpretatus est divinæ scripturæ libros. Amplius septuaginta annos summa cum laude Rhemensem Ecclesiam administravit. Cujus vitæ & mortis sanctitatem multa, quæ consecuta sunt, miracula comprobarunt.

℟. Inveni David servum meum, oleo sancto meo unxi eum: * Manus enim mea auxiliabitur ei. ℣. Nihil proficiet inimicus in eo, & filius iniquitatis non nocebit ei. * Manus enim.

Sermo sancti Maximi Episcopi.

Ex

Ex Homil. 59. quæ est 2. de S. Eusebio.

Lectio V.

Beatorum Patrum, Remigii, Germani, & Vedasti merita jam in tuto posita securi magnificemus, qui gubernaculum fidei viriliter tenentes, anchoram spei tranquilla jam in statione composuêre, & plenam cœlestibus divitiis, & æternis mercibus navem optato in littore collocavêre: qui contra omnes adversarios scutum timoris Dei tamdiu infatigabiliter tenuerunt, donec ad victoriam pervenirent. Quid enim fuit totus vitæ illorum cursus, nisi unus cum vigili hoste conflictus?

℟. Posui adjutorium super potentem, & exaltavi electum de plebe mea. * Manus enim mea auxiliabitur ei. ℣. Inveni David servum meum, oleo sancto meo unxi eum. * Manus enim.

Lectio VI.

Quantis hi cœcis a via veritatis errantibus, & de summa jam in profundum rupe pendentibus, amissum reddidêre visum, & illum, quo Christus videretur, reparârunt intuitum? Quantorum auribus surdis, & infidelitatis obturatione damnatis, ad percipiendam vocem cœlestium mandatorum, pretiosum infuderunt auditum, ut vocanti Deo ad misericordiam responderent per obedientiam? Quantos intrinsecus vulneratos, Angelici oris arte & orationum, ab infirmitate curaverunt?

℟. Iste est, qui ante Deum magnas virtutes operatus est, & omnis terra doctrina ejus repleta est: * Ipse intercedat pro peccatis omnium populorum. ℣. Iste est, qui contempsit vitam mundi, & pervenit

nit ad cœlestia regna. * Ipse. Gloria Patri. * Ipse.

In Tertio Nocturno.

Homilia in Evangelium: Homo peregre proficiscens, *de Communi Confessoris Pontificis.*

In Laudibus Commem. 1. Octavæ S. Wenceslai M. 2. S. Hieronymi.

℣. Amavit eum.

I. Vesperæ de sequenti.

Die II. Octobris.

In Festo sancti Othonis Episcopi & Confessoris.

Duplex.

Officium de Communi Conf. Pont. præter sequentia.

In hymno: Iste Confessor, *dicitur:* meruit supremos laudis honores.

Oratio.

Deus, cujus virtute beatus Otho Confessor tuus & Pontifex ad solidandas in fide Gentes incredulas, rapidi fluminis cursum prece restrinxit; concede propitius: ut, qui doctor in terris factus est infidelium populorum, pro nobis pius interceſſor efficiatur apud te in cœlis. Per Dominum.

Commem. 1. præcedentis.

Antiph. Amavit eum.

℣. Justum deduxit.

Oratio ut supra.

2. Comm. Octavæ S. Wenceslai M.

Antiph. Qui vult venire.

℣. Justus ut palma.

3. Comm. S. Hieronymi Presb. Conf.

Antiph. O Doctor optime.

℣. Os justi meditabitur sapientiam. ℟. Et lingua ejus loquetur judicium.

In Primo Nocturno.

Lectiones de scriptura occurrente.

In Secundo Nocturno.

Lectio IV.

Othonem generosa stirpe ortum Suevia dedit. Is decursa ætate teneriore, mox sacris se litteris dedere, ac spiritu sapientiæ & intellectus abundare, nec non morum gravitate, & modesti habitus nitore sic cœpit pollére, ut omnibus acceptus & honorabilis redderetur. Erga proximorum egestatem commiseratione tenerius tangebatur; nam Herbipolense Monasterium transiens, cum inaudiret, magna victualium penuria homines loci illius laborare, illico de opibus sibi a Deo concessis Hospitale peregrinorum ibidem exstruxit; alias proprio etiam ori subtractos cibos pauperibus subministravit.

℟. Inveni David servum meum, oleo sancto meo unxi eum: * Manus enim mea auxiliabitur ei. ℣. Nihil proficiet inimicus in eo, & filius iniquitatis non nocebit ei. * Manus enim.

Lectio V.

Pietati ejus juncta in rebus gerendis prudentia sic Imperatorem Henricum sibi devinxit; ut eum primo Cancellarium & Thesaurarium suum creârit; post obitum Ruperti Bambergensis Episcopi vero, præ multis aliis Cathedram illam solicite ambientibus ejusdem Ecclesiæ pedo Pastorali & annulo Othonem insignierit vel invitum, ipsis etiam parvulis nutu Divino ei suffragium ferentibus. A Paschale secundo summo Pontifice, ipso solemni Pentecostes die Episcopus consecratus simul usum crucis & pallii pro se & omnibus canonice successuris obtinuit.

℟. Posui adjutorium super potentem, & exal-

altavi electum de plebe mea: * Manus enim mea auxiliabitur ei. ℣. Inveni David servum meum, oleo sancto meo unxi eum. * Manus.

Lectio VI.

Exinde magis ac magis Dei gratia confortatus tanquam oliva fructifera in domo Dei, talentum sibi commissum sic dispensavit, ut quàmplurimos ab idololatria ad Christum converterit, præterque alia pietatis opera, quindecim monasteria exædificârit, bona etiam Ecclesiæ vel auxerit inventa, vel restauraverit amissa. Ubi Ecclesiam sibi commissam hoc modo quam optime constituisset; zelum Evangelicæ prædicationis etiam ad exteras Gentes protendit: nam Pomeraniam adhuc gentilitatis tenebris obvolutam cernens: eam Provinciam adeundi a Summo Pontifice facultatem petiit, & impetravit: Ubi Apostolico flagrans zelo, inter summum adversitatum æstum, eum, adspirante Deo, collegit fructum, ut multa animarum ad Christi Ecclesiam aggregârit millia; simul & Pomeranorum Apostoli nomen promeruerit. Tandem laboribus consummatus, & meritis plenus ad Episcopatum suum reversus, Anno Christi millesimo, centesimo, trigesimo nono; & sedis suæ trigesimo septimo, in pace quievit.

℟. Iste est, qui ante Deum magnas virtutes operatus est, & omnis terra doctrina ejus repleta est: * Ipse intercedat pro peccatis omnium populorum. ℣. Iste est, qui contempsit vitam mundi, & pervenit ad cœlestia regna. * Ipse intercedat. Gloria Patri. * Ipse intercedat.

In Tertio Nocturno.

Homilia in Evangelium: Homo quidam nobilis, *ut supra in Festo S. Albini Ep. C. 6. Sept. pag. 218.*

In Laudibus Comm. 1. Oct. S. Wenceslai. Antiph. Qui odit animam.

℣. Justus ut palma.

2. Comm. Oct. S. Hieronymi.

℣. Amavit.

In II. Vesp. a Capitulo de sequenti.

Die III. Octobris.

alibi 18. Septembris.

Sancti Josephi a Cupertino Confessoris.

Duplex.

A Clemente XIV. 8. Augusti 1769. inter Officia nova nuper edita.

Omnia de Communi Confessoris non Pontificis & ut in proprio loco.

In Hymno: Iste Confessor, *dicitur:* meruit supremos.

In I. Vesperis Comm. 1. præced.

Antiph. Amavit eum.

℣. Justum deduxit.

2. Comm. Oct. S. Wenceslai M.

Antiph. Qui vult venire.

℣. Justus ut palma.

3. Commem. Oct. S. Hieronymi.

Antiph. O Doctor.

℣. Os justi meditabitur sapientiam. ℟. Et lingua ejus loquetur judicium.

Die V. Octobris.

Octava sancti Wenceslai Martyris.

Duplex.

In Primo Nocturno.

Lectiones de scriptura occurrente.

In Secundo Nocturno.

Sermo sancti Ambrosii Episcopi.

Sermone 93. in Natali SS. Nazarii, &c. post medium.

Lectio IV.

Tantus Christi testis pretiosus confessione,

ne, pretiosior sanguine, crudeli vulnere pretiosior, & tincta veste candidior; licet peculiaris putetur privilegio sepulchri, sed omnium est communione suffragii. Non clauditur locis, quod diffunditur meritis. Invocasti ubique martyrem, ubique te exaudit ille qui honoratur in martyre. Moderante itaque eo, qui pensat vota tua, & dispensat munera sua, in tantum vicina præsentia efficacis præbebitur advocati, in quantum fuerit fides devota susceptí. Oratio enim quæ castitatis, justitiæ, eleemosynarum operibus adjuvatur, excedit mundum, penetrat paradisum, evolat usque ad ipsum summæ Majestatis, Angelo conferente, conspectum.

℟. Honestum fecit illum Dominus, & custodivit eum ab inimicis, & a seductoribus tutavit illum: * Et dedit illi claritatem æternam. ℣. Descenditque cum illo in foveam: & in vinculis non dereliquit eum. * Et dedit illi.

Lectio V.

Quæ cum ita sint, honoremus beatos martyres, principes fidei, intercessores mundi, præcones regni, cohæredes Dei. Quodsi dicas mihi: Quid honoras in carne jam resoluta, atque consumpta, de qua nulla jam Deo cura est? Et ubi est illud, charissimi, quod ipsa Veritas loquitur per Prophetam? *Pretiosa*, inquit, *in conspectu Domini mors Sanctorum ejus.* Et iterum: *Mihi autem valde honorificandi sunt amici tui Deus.* Honorare debemus servos Dei, quanto magis amicos Dei? de quibus alio loco dicitur: *Dominus custodit omnia ossa eorum, & unum ex his non conteretur.*

℟. Desiderium animæ ejus tribuisti ei Domine, * Et voluntate labiorum ejus non fraudasti eum. ℣. Quoniam prævenisti eum in benedictionibus dulcedinis, posuisti in capite ejus coronam de lapide pretioso. * Et voluntate.

Lectio VI.

Honoro ergo in carne martyris exceptas pro Christi nomine cicatrices: honoro viventis memoriam: perennitatem virtutis. Honoro per confessionem Domini sacratos cineres: honoro in cineribus semina æternitatis: honoro corpus, quod mihi Dominum meum ostendit diligere, quod me propter Dominum mortem docuit non timere. Cur autem non honorent corpus illud fideles, quod reverentur & dæmones? quod & afflixerunt in supplicio, sed glorificant in sepulchro. Honoro itaque corpus, quod Christus honoravit in gladio, quod cum Christo regnabit in cœlo.

℟. Stola jucunditatis induit eum Dominus: * Et coronam pulchritudinis posuit super caput ejus. ℣. Cibavit illum Dominus pane vitæ, & intellectus: & aqua sapientiæ salutaris potavit illum. * Et coronam. Gloria Patri. * Et coronam.

In Tertio Nocturno.

Lectio sancti Evangelii secundum Matthæum.

Lectio VII. Cap. 16.

In illo tempore: Dixit Jesus discipulis suis: Si quis vult post me venire, abneget semet ipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me. Et reliqua.

Homilia sancti Augustini Episcopi.

Serm. 47. de diversis.

Durum videtur & grave, quod Dominus im-

imperavit; ut si quis eum vult sequi, abneget seipsum: sed non est durum, nec grave, quod ille imperat, qui adjuvat, ut fiat, quod imperat. Nam & illud verum est, quod ei dicitur in Psalmo: *Propter verba labiorum tuorum ego custodivi vias duras.* Quidquid enim durum est in præceptis, ut sit lene, charitas facit. Novimus, quanta ipse amor facit. Quid autem est, *Neget se?* Non præsumat de se, sentiat se hominem, & respiciat dictum Propheticum: *Maledictus omnis, qui spem suam ponit in homine:* subducat se sibi, sed non deorsum versus: subducat se sibi, ut hæreat Deo.

℟. Corona aurea super caput ejus, * Expressa signo sanctitatis, gloria honoris, & opus fortitudinis. ℣. Quoniam prævenisti eum in benedictionibus dulcedinis, posuisti in capite ejus coronam de lapide pretioso. * Expressa.

Lectio VIII.

Tollat crucem suam, & sequatur me. Quo sequendus est Dominus? quo iit, novimus; resurrexit enim, & ascendit in cœlum: illo sequendus est. Plane desperandum non est, quia ipse promisit, non quia homo aliquid potest. Jam quare desperemus, si membra illius capitis sumus? Bonum est illo eum sequi, sed videndum est, qua: etenim verba ista Dominus Jesus non tunc dicebat, quando a mortuis jam resurrexerat: nondum erat passus, venturus erat ad crucem, venturus ad exhonorationem, ad contumelias, ad flagella, ad spinas, ad vulnera, ad insultationes, opprobria, mortem. Quasi exasperata est via: pigrum te facis, non vis sequi: Sequere.

Nam quis non velit ire ad exaltationem? Omnes delectat celsitudo, sed humilitas gradus est.

℟. Hic est vere martyr, qui pro Christi nomine sanguinem suum fudit: * Qui minas judicum non timuit, nec terrenæ dignitatis gloriam quæsivit, sed ad cœlestia regna pervenit. ℣. Justum deduxit Dominus per vias rectas, & ostendit illi regnum Dei. * Qui minas judicum. Gloria Patri. * Qui minas.

IX. Lectio de sanctis Martyribus Placido, & Sociis ejus.

ut in Romano.

In Laudibus Commem. 1. Oct. S. Hieronymi Conf. Antiph. Euge serve bone. ℣. Justum deduxit.

2. Commem. de SS. Placido & Sociis MM. Antiph. Vestri capilli. ℣. Exultabunt sancti.

Die VII. Octobris.

Octava sancti Hieronymi Presbyteri, Confessoris, & Doctoris.

Duplex.

In secundis Vesperis de S. Brunone, fit a Capitulo

De Octava sancti Hieronymi C. Officium ut in Communi Confessoris non Pontificis.

Ad Magnificat Antiphona. O Doctor.

Commem. 1. præcedentis. Antiph. Hic vir despiciens.

℣. Justum deduxit.

2. Commem. S. Marci Papæ Conf. Antiph. Sacerdos & Pontifex.

℣. Elegit eum Dominus sacerdotem sibi. ℟. Ad sacrificandum ei hostiam laudis.

Oratio ut in Romano.

3. Commem. SS. Martyrum Sergii, Bacchi, Marcelli, & Apuleji. ut in Romano.

In

In Primo Nocturno.

Lectiones de scriptura occurrente.

In Secundo Nocturno.

Qui post Orionas. *de Communi Doctorum.*

In Tertio Nocturno.

Homilia ut in Festo.

IX. *Lectio, & in Laudibus 1. comm. de sancto Marco Pp. Confessore.*

Antiph. Euge serve bone.

℣. Amavit eum.

2. Comm. SS. Sergii &c. MM.

Antiph. Vestri capilli.

℣. Exultabunt sancti.

Die X. Octobris.

In Festo S. Francisci Borgiæ Conf.

Semiduplex.

Pro Commemoratione Sanctorum Gereonis & Sociorum Martyrum.

In Vesp. Antiph. Istorum est enim.

℣. Lætamini in Domino.

Oratio.

Deus, qui nos annua beatorum Martyrum tuorum Gereonis, Victoris, Cassii, atque Florentii, Sociorumque eorum solennitate lætificas; præsta, quæsumus: ut, quorum gaudemus meritis, instruamur exemplis. Per Dominum.

In Matutino pro iisdem sanctis Martyribus.

Lectio IX.

Beatus Gereon, ejusque Socii trecenti decem & octo passi sunt sub Diocletiano & Maximiano Imperatoribus, quos in campis Coloniæ Agrippinæ civitatis assecuti carnifices, universos eâdem Christi fide armatos obtruncârunt in loco, qui ab incolis, *Ad Martyres*, dicitur; ubi in prærltum puteum conjecerunt occisorum corpora. Interea cohors illa trecentorum ac triginta Christianorum, quæ beatum Victorem comi-

tabatur, pervenerat ad Francorum oppidum, quod ex majorum sedibus *Trojam* nuncupabant, ubi fixis per prata castris, obruti sunt a supervenientibus Thebæorum Tyrannis; qui occisis universis, corpora eorum in locis paluſtribus submerserunt. Eodem tempore trecenti quinquaginta Christiani milites, qui ex Mauritania Africæ regione ad eosdem Gallicos tumultus sedandos evocati, navigio descenderunt, pro fide trucidati, eandem cum beato Gereone, ejusque sociis corporum quietem, & venerationem repererunt Coloniæ. Helena autem Constantini mater, accepta a filio potestate sublimandi sepulturas Martyrum: ipsorum honori magnificam & divitem Basilicam exædificavit.

Te Deum laudamus.

In Laudibus pro Commem. SS. Gereonis & Soc. MM.

Antiph. Vestri Capilli capitis.

℣. Exultabunt sancti in gloria.

Oratio ut supra, deinde suffragia Sanctorum.

Die XV. Octobris.

in Romano 17.

In Festo sanctæ Hedwigis Viduæ.

Dupl. II. Classis cum Octava.

Omnia ut in Romano die 17. Octobris.

In Primo Nocturno.

Lect. Mulierem fortem. *de Communi non Virginum.*

In II. Vesperis Comm. 1. S. Theresiæ V.

2. S. Galli Abb. ut infra.

Die XVI. Octobris.

In Romano heri.

In Festo sanctæ Theresiæ Virginis.

Duplex.

Om-

Omnia ut in Romano.

Pro Commemoratione Sancti Galli Abbatis.

Antiph. Similabo eum Viro.

℣. Amavit eum.

Oratio.

Deus, qui nos annua beati Galli Confessoris tui solemnitate lætificas; concede propitius: ut, cujus natalitia colimus, etiam actiones imitemur. Per Dominum.

Pro eodem S. Gallo Abb.

Lectio IX.

Gallus nobilis Scotus sub sancto Columbano religiosæ vitæ institutum coluit. Cum eodem ad Gallos & Helvetios profectus, multos Christianæ fidei præceptis erudivit, nonnullos ad pauperis Christi sectanda vestigia perduxit. Ad lacum Duriennium, & alibi, dæmonum simulacra succendit, & in abstrusa solitudinis loca se abdidit; ubi quanto mitius etiam feræ immanes ei morem gerebant, tanto ferocius dæmones fœdissimis spectris adorientes, ferventissimis precibus cum triduano jejunio, & corporis castigatione fugavit. Tandem Ducis Gonzonis filiam a dæmone vexatam sanat, & spretis Ducis muneribus cum Constantiensi Episcopatu, ad solitudinem revertitur: in qua severiori disciplina multis informatis, & monasteriis pluribus exstructis, plenus dierum quievit in Domino.

Te Deum laudamus.

In Laudibus pro Commem. ejusd.

Antiph. Euge serve bone.

℣. Justum deduxit.

Oratio ut supra.

Die XVII. Octobris.

Tertia die infra Octavam Sanctæ Hedwigis Viduæ.

Semiduplex.

In Primo Nocturno.

Lectiones de scriptura occurrente.

In Secundo Nocturno.

Sermo S. Augustini Episcopi.

Sermone 45. *de Diversis, cap.* 1.

Lectio IV.

Præstabit nobis, qui diem istum commendavit in Sanctis suis, ut infirmitas vocis nostræ sufficiat intentioni vestræ. Et hoc quod gestamus in manibus, Scriptura scilicet quam videtis, commendat nobis inquirendam & laudandam mulierem quamdam habentem magnum virum, eum, qui invénit perditam, ornavit inventam. Attendite, cujus membra estis; inspicite, cujus filii estis. Mulierem fortem quis inveniet? Difficile est invenire eam; imo difficile est nescire eam. Nonne ipsa est civitas in monte, quæ abscondi non potest? quare ergo dictum est, Quis inveniet? cum dici debuerit, Quis non inveniet? Sed tu civitatem in monte positam vides: ut autem in monte poneretur, inventa est, quæ perierat.

℟. Propter veritatem, & mansuetudinem, & justitiam: * Et deducet te mirabiliter dextera tua. ℣. Specie tua & pulchritudine tua intende, prospere procede, & regna. * Et deducet.

Lectio V.

Quando illustrata est, quis eam non videt? quando latebat, quis eam inveniret? Ipsa enim civitas est una illa ovis, quam perditam quæsivit ille pastor, & inventam gaudens in humeris reportavit. Ipse pastor, mons est: ovis autem in humeris ejus, civitas in monte. Facile est, ut videas eam collocatam in monte: quando eam in-

invenires, cum lateret in vepribus, in spinis utique delictorum suorum? ibi enim quæsiisse magnum est, ibi invenisse mirabile est. Hæc ejus difficilis inventio commendatur, cum dicit: Mulierem fortem quis inveniet? quis enim, quia unus: non, quia nec unus.

℟. Dilexisti justitiam, & odisti iniquitatem: * Propterea unxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ. ℣. Propter veritatem, & mansuetudinem, & justitiam. * Propterea.

Lectio VI.

Pretiosior est autem lapidibus pretiosis, quæ ejusmodi est. Quid magnum quia pretiosior est mulier hæc lapidibus pretiosissimis? Pretiosi lapides ideo dicti sunt, quia charitate valent. Jam ille vilis est, pretium perdidit, qui non habet charitatem. Doctrinam suam jactet licet, linguam suam jactet licet; audiat æstimatorem verorum lapidum matronæ hujus: audiat, inquam, quemdam artificem ornamenti hujus inspectorem. Si linguis hominum loquar, inquit, & Angelorum, charitatem autem non habeam, factus sum æramentum sonans, aut cymbalum tinniens. Jam non fulget, sed tinnit. Ergo discite lapides æstimare, negotiatores regni cœlorum: nullus lapis nobis placeat, præter hujus mulieris ornamentum.

℟. Fallax gratia, & vana est pulchritudo: * Mulier timens Deum, ipsa laudabitur. ℣. Date ei de fructu manuum suarum, & laudent eam in portis opera ejus. * Mulier timens. Gloria Patri. * Mulier.

In Tertio Nocturno.

Lectio sancti Evangelii secundum Matthæum.

Le-

Lectio VII. *Cap.* 13.

In illo tempore: Dixit Jesus discipulis suis parabolam hanc: Simile est regnum cœlorum thesauro abscondito in agro. Et reliqua.

Homilia sancti Hieronymi Presbyteri.

Lib. 2. *in Matth. cap.* 13.

Thesaurus iste, in quo sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ absconditi, aut Deus Verbum est, qui in carne Christi videtur absconditus; aut sanctæ Scripturæ, in quibus reposita est notitia Salvatoris: quem cum quis in eis invenerit, debet omnia istius mundi emolumenta contemnere, ut illum possit habere, quem reperit. Quod autem sequitur, *Quem cum invenerit homo, abscondit;* idcirco dicitur, non quod hoc de invidia faciat, sed quod timore servantis, & nolentis perdere, abscondat in corde suo, quem pristinis prætulit facultatibus.

℟. Os suum aperuit sapientiæ, & lex clementiæ in lingua ejus: considerávit semitas domus suæ, * Et panem otiosa non comedit. ℣. Gustavit, & vidit quia bona est negotiatio ejus, non extinguetur in nocte lucerna ejus. * Et panem.

Lectio VIII.

Aliis verbis idipsum, quod supra, dicitur. Bonæ margaritæ, quas quærit institor, Lex & Prophetæ sunt. Unum autem est pretiosissimum margaritum, scientia Salvatoris, & sacramentum passionis illius, & resurrectionis arcanum. Quod cum invenerit homo negotiator; similis Pauli Apostoli, omnia Legis Prophetarumque mysteria, & observationes pristinas, in quibus inculpate vixerat, quasi purgamenta contemnit & quis-

quisquilias, ut Christum lucrifaciat. Non quod inventio novæ margaritæ condemnatio sit veterum margaritarum; sed quod comparatione ejus omnis alia gemma vilior sit.

℟. Regnum mundi, & omnem ornatum seculi contempsi, propter amorem Domini mei Jesu Christi: * Quem vidi, quem amavi, in quem credidi, quem dilexi. ℣. Eructavit cor meum verbum bonum, dico ego opera mea Regi. * Quem vidi. Gloria Patri. * Quem vidi.

Lectio IX.

Intellexistis hæc omnia? Dicunt ei: Etiam. Ad Apostolos proprie sermo est: quos non vult audire tantum ut populum, sed intelligere ut magistros futuros. Instructi erant Apostoli, scribæ & notarii Salvatoris, qui verba illius & præcepta signabant in tabulis cordis carnalibus, regnorum cœlestium sacramentis, & pollebant opibus patrisfamiliæ, ejicientes de thesauro doctrinarum suarum nova & vetera: ut quidquid in Evangelio prædicabant, Legis & Prophetarum vocibus comprobarent. Unde & sponsa dicit in Cantico canticorum: Nova & vetera, fratruelis meus, servavi tibi.

Te Deum laudamus.

Die XX. Octobris.

In Festo sancti Joannis Cantii Confessoris.

Semiduplex.

a Clemente XIV. die 8. Sept. 1770.

Inter Officia nova. Omnia de Communi Confessoris non Pontificis, & ut in proprio loco.

In Laudibus Commem. Octavæ S. Hedwigis Viduæ.

I. Vesperæ de sequenti, cum Commemorationibus ut infra.

Die

Die XXI. Octobris.

In Festo sanctarum Ursulæ, & Sociarum Virginum, & Martyrum.

Duplex majus.

Omnia de Communi Virginum præter propria.

In utrisque Vesperis ad Magnificat, & in Laudibus ad Benedictus.

℣. Adducentur Regi Virgines post eam. ℟. Proximæ ejus afferentur tibi.

Antiph. Prudentes Virgines, aptate vestras lampades: Ecce, sponsus venit, exite obviam ei.

Oratio.

Da nobis, quæsumus Domine Deus noster, sanctarum Virginum & Martyrum tuarum, Ursulæ & Sociarum ejus palmas, incessabili devotione venerari: ut quas digna mente non possumus celebrare, humilibus saltem frequentemus obsequiis. Per Dominum.

Commem. 1. præcedentis.

Antiph. Hic vir despiciens.

℣. Justum deduxit.

2. Comm. Oct. S. Hedwigis Vid. Antiph. Manum suam. ℣. Diffusa.

3. Comm. S. Hilarionis Abbatis. Antiph. Similabo eum. ℣. Amavit. *Oratio:* Intercessio.

De Communi Abbatum.

In Primo Nocturno.

Lectiones: De Virginibus præceptum. *ut in Communi Virginum.*

In Secundo Nocturno.

Lectio IV.

Gratiano Imperatore, Flavius Clemens Maximus, Romani exercitus in Britannia Dux, arrepta tyrannide, Imperator a militibus acclamatur. Inde copias in Gallias transmittens, ab infensis Gratiano legionibus exceptus, imperium sibi corroborat. Cum-

Cumque Armoricorum uberem regionem, ejectis antiquis habitatoribus Britannicis militibus, quos secum duxerat, divisisset, quo novas colonias propagaret in posteros: Connani Britannici Reguli, quem Britannorum Ducem habebat in exercitu, consilio missa legatione in Britanniam, singulis militibus novis colonis, singulas Virgines conjugio fœderandas postulat.

℟. Propter veritatem, & mansuetudinem, & justitiam: * Et deducet te mirabiliter dextera tua. ℣. Specie tua & pulchritudine tua intende; prospere procede, & regna. * Et deducet.

Lectio V.

Haud visa Britanniæ Reguli absurda petitio: unde in gratiam novi Imperatoris, & quod filias suas nonnisi gentilibus suis, iisque donatis nova Provincia, prædivitibus, honestissime collocandas scirent: pro numero militum totidem delectæ sunt virgines, quarum Princeps erat Ursula, Dionóti Cornubiæ Regis filia, desponsata Connano Duci Britannorum militum in exercitu Maximini. Cunctæ igitur Londini collectæ, impositæ sunt invitæ navigiis. Solventes nautæ, dum Armoricorum regionem cogitant, a sæva procella in Germanicum littus dejiciuntur.

℟. Dilexisti justitiam, & odisti iniquitatem; * Propterea unxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ. ℣. Propter veritatem, & mansuetudinem, & justitiam. * Propterea.

Lectio VI.

Contigit adesse tunc ibi Hunnorum copias, quas a Gratiano Imperatore adversus Maximum evocatas ferunt: Nacti igitur Barbari præ-

clarum illud virginum agmen, impotenti libidinis æstu furentes, in eas irruunt. Sed cum hortante Ursula, mortem potius oppetere, quam virginei pudoris jacturam pati, invicto animi vigore decrevissent: Hunni, in rabiem immanitatis conversi, ad unam omnes trucidant. Sicque Ursula super comitum suarum, velut cœlestium margaritarum pretiosum acervum, gloriosa victima procumbens: purpura pro Christo fusi sanguinis decorata, triumphatorem tot virginum exercitum, geminis, nempe Virginitatis & Martyrii laureis, insignem ducens, cœlum victrix intravit. Quarum corpora Colonienses summo honore condiderunt: earumque illustrem agonem Christianus orbis florenti semper memoria celebrat.

℟. Afferentur Regi Virgines post eam, proximæ ejus, * Afferentur tibi in lætitia & exultatione. ℣. Specie tua & pulchritudine tua intende, prospere procede, & regna. * Afferentur. Gloria Patri. * Afferentur tibi.

In Tertio Nocturno.

Homilia in Evangelium: Simile erit Regnum cœlorum decem Virginibus. *De Communi Virginum.*

IX. Lectio de S. Hilarione Abbate, ut in Breviario, duabus in unam conjunctis.

In Laudibus Comm. 1. Octav. S. Hedwigis Vid. Antiph. Date ei. ℣. Diffusa est.

2. Comm. S. Hilarionis Abbatis. Antiph. Euge serve bone. ℣. Justum deduxit. *Oratio.* Intercessio.

IN II. VESPERIS.

Ad Magnificat ℣. & Antiph. ut supra in primis Vesperis.

Comm.

Comm. 1. Diei Octavæ S. Hedwigis Viduæ. 2. S. Severi Ep. C. ut infra.

Die XXII. Octobris. Octava sanctæ Hedwigis Viduæ.

Duplex.

Antiph. Simile est Regnum Cœlorum.

℣. Specie tua.

Oratio ut in Romano.

Pro Commemoratione Sancti Severi Episcopi & Confessoris.

Antiph. Sacerdos & Pontifex.

℣. Amavit eum.

Oratio.

Deus, qui hodiernam diem nobis in beati Severi Confessoris tui atque Pontificis solennitate tribuisti; adesto propitius Ecclesiæ tuæ precibus; ut, cujus gaudemus meritis, muniamur & suffragiis. Per Dominum.

In Primo Nocturno.

Lectiones de Scriptura occurrente.

In Secundo Nocturno.

De Sermone S. Augustini Episcopi.

Unde supra, Cap. 12.

Lectio IV.

Duplicia pallia fecit viro suo. Jam acclamatis: credo, quod agnoscitis, quæ sunt duplicia pallia. Laudes sunt, laudes fidei, laudes confessionis, laudes prædicationis. Quare duplicia? Christum laudas, Deum laudas & hominem. Dupliciter lauda, simpliciter lauda. Dupliciter, quia homo est, & Deus: simpliciter, ut non sis fictus. Confitére Deum, confitére hominem: lauda Deum in homine, lauda hominem in Deo. Texuit pretiosissimum illud pallium laudis: *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum: hoc erat in principio apud Deum.* Texuit & aliud pallium, propter conversationem inter homines

quotidianam: *Verbum caro factum est, & habitavit in nobis.*

℟. Propter veritatem. *pag. 252.*

Lectio V. *Cap. 16.*

Hic ergo ista laboriosa, vigilans, solicita, severe castigans domum suam, surgens de noctibus, intuens lucernam, ne extinguatur; in tribulatione fortis, nondum receptis promissis pavens, brachia sua in fusum confirmans, non pigrum panem manducans. Ob labores istos quasi paupertatis & necessitatis secularis, quid erit, quia in diebus novissimis lætata est? Quid erit? Audite: propter quam spem ardeat lucerna nostra tota nocte, nunc audite: Surrexerunt filii ejus, & ditati sunt. Modo in paupertate vivimus, in paupertate vigilamus: & cum morimur, in paupertate dormimus: sed surgemus, & ditabimur. Quæ illæ divitiæ sunt Angelorum? unam vestem habent lucis: nunquam teritur, nunquam sordidatur. Si filius es mulieris hujus, attende quando tibi divitiæ promittantur. Surrexerunt filii ejus, & ditati sunt, parati resurrectionis divitias accipere. Noli has amare, ut merearis ad illas venire.

℟. Dilexisti justitiam. *pag. 253.*

Lectio VI.

Et vir ejus laudavit eam. Multæ, inquit, filiæ fecerunt potentiam. Laudes sunt, quibus eam laudat vir ejus. Quæ filiæ, quibus hæc comparatur? Non comparatur. Tu autem superasti. Attendite ergo vos, jam in fine lectionis sumus. Multæ filiæ fecerunt potentias, multæ locutæ sunt linguis, scierunt omnia sacramenta, fecerunt virtutes

tutes multas, dæmonia exclusérunt, res suas pauperibus distribuerunt, corpora sua ignibus tradiderunt: inflatæ sunt, quia charitatem non habuerunt. Tu autem superasti & superposuisti omnes, non solum flore, sed & fructu gravida abundans. Date illi de fructibus manuum suarum. Quid date? *Venite benedicti Patris mei.* De quibus frúctibus manuum ejus? *Esurivi enim, & dedistis mihi manducare.* Et quod illi deinde negotium erit, finitis laboribus? & laudetur in portis vir ejus. Ipse erit portus laborum nostrorum, videre Deum, laudare Deum.

℟. Fallax gratia. *pag. 253.*

In Tertio Nocturno.

Lectio sancti Evangelii secundum Matthæum.

Lectio VII. Cap. 13.

In illo tempore: Dixit Jesus discipulis suis parabolam hanc: Simile est regnum cœlorum thesauro abscondito in agro. Et reliqua.

Homilia sancti Augustini Episcopi.

Quæst. 16.

Ideo omnis scriba doctus in regno cœlorum similis est homini patrifamilias, qui profert de thesauro suo nova & vetera. Utrum ista conclusione exponere voluit, quem dixerit thesaurum in agro absconditum? Quoniam sanctæ Scripturæ intelliguntur, quæ nomine duorum Testamentorum novi & veteris concluduntur: quemadmodum apud alium Evangelistam, gladium bis acutum tali conclusione videtur exponere.

℟. Os suum aperuit. *pag. 254.*

Lectio VIII.

An quia in parabolis ista locutus est, & cum quæsiisset ab eis,

utrum intellexissent, responderunt, se intellexisse? Fortasse ista similitudine ultima patrisfamilias proferentis de thesauro suo nova & vetera, ostendere voluit, eum doctum habendum esse in Ecclesia, qui etiam scripturas veteres parabolis explicatas intellexit, ab istis novis accipiens regulas: quia & ista Dominus per parabolas enuntiavit, quamvis ipse Christus esset finis illorum; id est, ut in eo illa vetera complerentur.

℟. Regnum mundi. *pag. 255.*

Lectio IX.

Ut si ipse, in quo illa complentur, & manifestantur, per parabolas adhuc loquitur, donec ejus passio velum discindat, ut nihil sit occultum quod non reveletur: multo magis illa, quæ ad commendandam tantam ejus salutem, tam longe de illo scripta sunt, parabolis operta esse noverimus: quæ cum Judæi ad litteram acciperent, noluerunt esse docti in regno cœlorum, neque transire ad Christum, ut auferretur velamen, quod supra cor eorum positum est.

Te Deum laudamus.

In Laudibus pro Commem. Sancti Severi Episcopi & Conf.

Antiph. Euge serve bone.

℣. Justum deduxit.

Oratio ut supra. pag. 259.

In II. Vesperis Commemoratio S. Severini Episcopi & Confess. ut infra.

Die XXIII. Octobris. Sancti Severini Episcopi & Confessoris.

Simplex.

Antiph. Sacerdos & Pontifex.

℣. Amavit eum.

Oratio.

Misericordiam tuam nobis Domine, quæsu-

sumus, interveniente beato Severino Confessore tuo atque Pontifice, clementer impende; & nobis peccatoribus ipsius propitiare suffragiis. Per Dominum.

Lectio I. & II. de scriptura occurrente.

Lectio III.

Sermo sancti Maximi Episcopi.

Beati Patris Severini merita jam in tuto posita. *de Communi Confessoris Pontificis.*

Die XXIV. Octobris.

Sancti Raphaëlis Archangeli.

Duplex.

Omnia ut in Romano inter Officia nova ad calcem Breviarii.

In II. Vesperis Comm. 1. SS. Crispini, & Crispiniani MM. 2. SS. Chrysanthi &c. MM. ut infra.

Die XXV. Octobris.

Sanctorum Crispini & Crispiniani Martyrum.

Simplex.

Antiph. Istorum est enim.

℣. Lætamini.

Oratio.

Magnificet te Domine sanctorum Martyrum tuorum Crispini, & Crispiniani sancta solemnitas: qua & illis gloriam sempiternam, & opem nobis ineffabili providentia contulisti.

2. Commemoratio Sanctorum Chrysanthi, & Dariæ Martyrum.

Antiph. Vestri capilli capitis.

℣. Exultabunt.

Oratio.

Beatorum martyrum tuorum, Domine, Chrysanthi & Dariæ, quæsumus, adsit nobis Oratio: ut quos veneramur obsequio, eorum pium jugiter experiamur auxilium. Per Dominum.

Lectio I. & II. de scriptura occurrente.

Lectio III.

Crispinus & Crispinianus nobiles Romani, patria relicta in Galliam profecti, ibique ob gravissimam in Christianos persecutionem multa incommoda perpessi, arte sutrina vitam sustentare cœperunt. Multis igitur non tam opificii necessitate, quam Christianæ studio religionis ad eos ventitantibus, Christi fidem propagabant. Quamobrem ad Imperatorem delati, cum a proposito nulla ratione removeri possent, sub Rictiovaro Præside post immania tormenta capite damnati, martyrio coronantur. Quorum corpora postea ex Galliis Romam delata, apud sanctum Laurentium in Pane & Perna honorifice tumulata sunt.

Te Deum laudamus.

In Laudibus pro Commemorat. SS. Chrysanthi, & Dariæ Martyr.

Antiph. Istorum est.

℣. Lætamini in Domino.

Oratio: Beatorum Martyrum.

I. Vesperæ de sequenti.

Die XXVI. Octobris.

In Festo Commemorationis B. MARIÆ Virginis.

Duplex majus.

Ad I. Vesperas Antiphonæ.

I. Antiph. Ait Dominus Deus ad serpentem: Inimicitias ponam inter te & mulierem; ipsa conteret caput tuum.

Psalmi ex Officio parvo B. V. M.

II. Antiph. Quæ est ista, quæ progreditur quasi aurora consurgens, pulchra ut luna, electa ut sol?

III. Antiph. Præcepit mihi, qui creavit me; & in habitatione sancta coram ipso ministravi.

IV. An-

IV. Antiph. Ne timeas Maria; inveniſti enim gratiam apud Deum: Ecce concipies in utero, & paries filium.

V. Antiph. Unde hoc mihi, ut veniat Mater Domini mei ad me? Benedicta tu in mulieribus, & benedictus fructus ventris tui.

Capitulum. Prov. 8.

Beatus homo, qui audit me, & qui vigilat ad fores meas quotidie, & obſervat ad poſtes oſtii mei. Qui me invenerit, inveniet vitam, & hauriet ſalutem a Domino.

Hymnus.

Memento de Deo Deus,
Quod matre natus Virgine,
Noſtri miſertus, perditi
Mundi Redemptor veneris.

Et Tu tuorum ſis memor,
Quæ dum modeſto pectore
Te dicis ancillam Dei,
Regina mundi diceris.

Amicta ſole femina,
Lunamque ſubjectam premens,
Biſſena cui cingunt caput
Fulgore miro ſidera.

O Tu, clientum cui preces,
Cui vota cordi, Judicem
Præbére nobis, quod potes,
Patrona placatum velis.

Sit noſtra per te laus Patri;
Tuoque grata Filio,
Et utriusque Flamini
In ſeculorum ſecula. Amen.

℣. Dignare me laudare te, Virgo ſacrata. ℟. Da mihi virtutem contra hoſtes tuos.

Ad Magnificat Antiphona.

Tota pulchra es amica mea, & macula non

est in te; veni de Libano, sponsa mea; veni, coronaberis.

Oratio.

Omnipotens sempiterne Deus, qui gloriosissimæ Virginis Mariæ corpus & animam, ut dignum Filii tui habitaculum effici mereretur, Spiritu sancto cooperante præparasti; da, ut cujus Commemoratione lætamur, ejus pia intercessione ab instantibus malis & a morte perpetua liberemur. Per eundem. In unitate ejusdem.

Commem. S. Evaristi Papæ & M.

Antiph. Iste sanctus.

℣. Gloria & honore.

Oratio. Infirmitatem. *ut in Romano.*

AD MATUTINUM.

Invitator. Memoriam Beatæ Mariæ Virginis recolentes, Jesum de ea natum * Venite, adoremus.

Psalm. Venite, exultemus.

Hymnus.

Davidis soboles, gloria Virginum,
Christi Virgo parens, Te posuit Deus,
Partu virgineo quæ male subdoli
Anguis contereres caput.

Rebus principium qui dedit omnibus,
A te principium sumpsit homo Deus;
Cunctis prospiciens qui tribuit cibos,
Pastus lacte fuit tuo.

Per Te, quod mulier perdiderat vetus,
Humano generi redditur auctius:
Tu clausas miseris, heu nimium diu!
Cœlorum reseras fores.

Qui lucis pater est, gloria sit Patri;
Cujus Virgo parens, gloria Filio;

Quo

Quo fœcunda, Tibi, nexus amabilis,
Sit par gloria, Spiritus.
Amen.

Antiphonæ, & Psalmi Nocturnorum, ut in Officio parvo B. Mariæ V.

In Primo Nocturno.

℣. Specie tua.

De Libro Ecclesiastici.

Lectio I. *Cap.* 24.

Qui creavit me, requievit in tabernaculo meo, & dixit mihi: In Jacob inhabita, & in Israel hæreditare, & In electis meis mitte radices. Ab initio & ante secula creata sum, & usque ad futurum seculum non desinam, & in habitatione sancta coram ipso ministravi. Et sic in Sion firmata sum, & in civitate sanctificata similiter requievi, & in Jerusalem potestas mea. Et radicavi in populo honorificato, & in parte Dei mei hæreditas illius, & in plenitudine sanctorum detentio mea.

℟. Ecce draco stetit ante mulierem, quæ erat paritura Filium, qui recturus erat omnes gentes: * Et projectus est draco ille magnus, serpens antiquus, qui seducit universum orbem. ℣. Per manus feminæ percussit illum Dominus Deus noster. * Et projectus.

Lectio II.

Quasi cedrus exaltata sum in Libano, & quasi cypressus in monte Sion: quasi palma exaltata sum in Cades, & quasi plantatio rosæ in Jericho: Quasi oliva speciosa in campis, & quasi platanus exaltata sum juxta aquam in plateis. Sicut cinnamomum & balsamum aromatizans odorem dedi, quasi myrrha electa dedi suavitatem odoris.

℟. Orietur stella ex Jacob, & * Egredietur vir-

virga de radice Jesse, & flos de radice ejus ascendet, & requiescet super eum Spiritus Domini. ℣. In splendore ortus tui omnes venient, laudem Domino annuntiantes. * Egredietur.

Lectio III.

Ego Mater pulchræ dilectionis, & timoris, & agnitionis, & sanctæ spei. In me gratia omnis viæ & veritatis, in me omnis spes vitæ & virtutis. Transite ad me omnes, qui concupiscitis me, & a generationibus meis implemini: Spiritus enim meus super mel dulcis, & hæreditas mea super mel & favum: Memoria mea in generationes seculorum.

℟. Audi, filia; & inclina aurem tuam, & * Obliviscere populum tuum, & domum patris tui, & * Concupiscet rex decorem tuum, quoniam ipse est Dominus Deus tuus. ℣. Unam petii a Domino, hanc requiram; ut inhabitem in domo Domini. * Obliviscere. Gloria Patri. * Concupiscet.

In Secundo Nocturno.

℣. Adjuvabit eam.

Sermo sancti Procli Episcopi.

In S. Deip. Orat. 5. hab. in Concilio Ephes.

Lectio IV.

Quamvis omnium Sanctorum memoriæ mirabiles sint, nihil tamen Commemorationis hujus solemniis æquale ad gloriam. Abel propter sacrificium celebratur; Abraham propter fidem præclaris laudibus cumulatur; Moyses tanquam legislator prædicatur; Elias, ut Zelotes testimonium habet; David, ut pater mysterii in carne peracti, commendatur: verum nihil tale est, qualis est Dei genitrix Maria; ipsa enim, quem

quem illi in ænigmate viderunt, incarnatum in utero portavit. Cunctas res creatas, o homo, cogitatione percurre, & vide, an quicquam sit æquale vel majus Maria Deipara. Terram undique lustra, cœlos mente scrutare, invisibiles omnes virtutes cogita, ac perspice, num sit in universis creatis aliud ejusmodi miraculum.

℟. Erat Virgo desponsata viro, cui nomen erat Joseph de domo David; & * Nomen Virginis Maria. ℣. Tu ipse, Domine Deus, qui elegisti, posuisti nomen ejus. * Nomen.

Sermo sancti Cyrilli Alexandrini.

Homil. contra Nest. hab. Ephes. in Basilica majori.

Lectio V.

Salve itaque a nobis, Maria Deipara, venerabile cimelium totius orbis terrarum, lampas inextinguibilis, sceptrum rectæ doctrinæ; templum indissolubile; locus ejus, qui loco capi non potest, mater & virgo; per quam nominatur in sanctis Evangeliis: Benedictus qui venit in nomine Domini.

℟. Sanctificavit tabernaculum suum Altissimus: * Deus in medio ejus: Dominus virtutum nobiscum, susceptor noster Deus Jacob. ℣. Elegit Dominus eam, elegit eam in habitationem sibi. * Deus in medio.

Lectio VI.

Salve, quæ immensum, incomprehensumque in sancto virgineo utero comprehendisti; per quam cœlum exultat; per quam Angeli & Archangeli lætantur; per quam prolapsus homo cœlum recuperat; per quam omnis creatura idolorum vesania detenta ad agnitionem veritatis pervénit; per quam sanctum baptisma obtingit

git credentibus; per quam oleum exultationis; per quam toto orbe terrarum fundatæ sunt Ecclesiæ; per quam gentes adducuntur ad pœnitentiam: & quid plura dicam? per quam Unigenitus Dei Filius iis, qui in tenebris & umbra mortis sedebant, lux effulsit.

℟. Benedicta es tu, filia, a Domino Deo excelso præ omnibus mulieribus super terram. * Benedicam tibi, & * Benedicentur in semine tuo omnes gentes terræ. ℣. Benedicta tu inter mulieres, & benedictus fructus ventris tui. * Benedicam. Gloria Patri. * Benedicentur.

In Tertio Nocturno.

℣. Elegit eam.

Lectio sancti Evangelii secundum Lucam.

Lectio VII. Cap. 11.

In illo tempore: Loquente Jesu ad turbas, extollens vocem quædam mulier de turba, dixit illi: Beatus venter, qui te portavit, & ubera, quæ suxisti. Et reliqua.

Homilia S. Augustini Episcopi.

De sancta Virg. Cap. 3. *&* 4.

Beatior Maria percipiendo fidem Christi, quam concipiendo carnem Christi. Nam & dicenti cuidam: *Beatus venter, qui te portavit*, ipse respondit: *Imo beati, qui audiunt verbum Dei, & custodiunt.* Denique fratribus ejus, id est, secundum carnem cognatis, qui non in eum crediderunt, quid profuit illa cognatio? Sic & materna propinquitas nihil Mariæ profuisset, nisi felicius Christum corde, quam carne gestasset. Ipsa quoque Virginitas ejus ideo gratior & acceptior, quia Christus priusquam conciperetur, jam Deo dicatam, de qua na-

nascerétur, elegit. Hoc indicant verba, quæ sibi fœtum annuntianti Angelo Maria reddidit: *Quomodo*, inquit, *fiet istud, quoniam virum non cognosco?* Quod profecto non diceret, nisi Deo Virginem se ante vovisset.

℟. Fortis est ut mors dilectio. * Aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem, nec flumina obruent illam. ℣. Multæ filiæ congregaverunt divitias: tu supergressa es universas. * Aquæ multæ.

Lectio VIII.

Unde supra, Cap. 5.

Non est ergo, cur Dei Virgines contristentur, quod etiam ipsæ, virginitate servata, matres carnis esse non possunt. Illum enim solum Virginitas decenter parere posset, qui in sua nativitate parem habere non posset. Verumtamen ille unius sanctæ Virginis partus omnium sanctarum virginum est decus. Et ipsæ cum Maria matres Christi sunt, si Patris ejus faciunt voluntatem. Hinc enim & Maria laudabilius atque beatius Christi mater est, secundum supra memoratam ejus sententiam: Quicunque facit voluntatem Patris mei, qui in cœlis est, ipse mihi frater, & soror, & mater est.

℟. Surge amica mea, speciosa mea, * Veni de Libano, sponsa mea, veni, coronaberis. ℣. Quæ est ista, quæ ascendit de deserto deliciis affluens, innixa super dilectum suum? * Veni de Libano. Gloria Patri. * Veni de Libano.

IX. Lectio de S. Evaristo Papa & Martyre, ut in Romano.

AD LAUDES,
& per Horas
Antiphonæ.

I. Antiph. Noli metuere, non morieris; non enim

enim pro te, sed pro omnibus hæc lex constituta est.

Psalmus, Dominus regnavit, *cum reliquis de Dominica.*

II. Antiph. Quæ est ista, quæ processit sicut sol, & formosa tanquam Jerusalem?

III. Antiph. Cum essem parvula, placui Altissimo, & in habitatione sancta coram ipso ministravi.

IV. Antiph. Ave gratia plena: Dominus tecum. Spiritus sanctus superveniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi.

V. Antiph. Beata, quæ credidisti, quoniam perficientur in te, quæ dicta sunt tibi a Domino.

Capitulum. *Prov.* 8.

Beatus homo, qui audit me, & qui vigilat ad fores meas quotidie, & observat ad postes ostii mei. Qui me invenerit, inveniet vitam, & hauriet salutem a Domino.

Hymnus.

Nunc aurora, novæ nuntia lucis,
Tristes orbe procul dissipat umbras.
O quam lucidior, nocte sepultis
Portans ipsa diem, Virgo refulges!

O quæ nunc habitas lucida regna,
Mittas inde tuæ munera lucis:
Te si terra dedit munus Olympo,
Quæ non dona memor reddet Olympus?

Inter perpetuos Numinis haustus,
O Regina, tibi sanguine junctum
Ne dedisce genus: nostra fuisti,
Summi facta parens, Virgo, Tonantis.

Di-

Divinæ Soboli qui dare matrem
In terris voluit, gloria Patri:
Cujus Virgo parens, gloria Nato:
Quo fœcunda, tibi gloria Flamen. Amen.

℣. Diffusa est gratia in labiis tuis. ℟. Propterea benedixit te Deus in æternum.

Ad Benedictus Antiph.

Surrexit Rex in occursum ejus; positusque est thronus Matri Regis, quæ sedit ad dexteram ejus.

Oratio.

Omnipotens sempiterne Deus, qui gloriosissimæ Virginis Mariæ corpus & animam, ut dignum Filii tui habitaculum effici mereretur, Spiritu Sancto cooperante præparasti: da, ut cujus Commemoratione lætamur, ejus pia intercessione ab instantibus malis, & a morte perpetua liberemur. Per eundem. in unitate ejusdem.

Pro Commem. S. Evaristi Papæ M.

Antiph. Qui odit animam.

℣. Justus ut palma.

Oratio: Infirmitatem nostram. *ut in Romano.*

Ad Primam.

Antiph. Noli metuere.

In ℟*io br.* ℣. Qui natus es.

Ad Tertiam.

Antiph. Quæ est ista.

Capitulum. Beatus homo, *ut in Laudibus.*

℟. *breve.* Specie tua, * Et pulchritudine tua. Specie. ℣. Intende, prospere procede, & regna. * Et pulchritudine. Gloria Patri. Specie.

℣. Adjuvabit eam Deus vultu suo. ℟. Deus in medio ejus non commovebitur.

Oratio ex Laudibus.

Ad Sextam.

Antiph. Cum essem parvula.

Capitulum. *Prov.* 8.

Ego diligentes me diligo: & qui mane vigilant ad me, invenient me. Mecum sunt divitiæ & gloria, opes superbæ, & justitia. Melior est enim fructus meus auro, & lapide pretioso, & genimina mea argento electo.

℟. *br.* Adjuvabit eam, * Deus vultu suo. Adjuvabit. ℣. Deus in medio ejus, non commovebitur. * Deus vultu. Gloria Patri. Adjuvabit.

℣. Elegit eam Deus, & præelegit eam. ℟. In tabernaculo suo habitare facit eam.

Oratio ut supra,

Ad Nonam.

Antiph. Beata, quæ credidisti.

Capitulum. *Eccli* 24.

Qui edunt me, adhuc esurient: & qui bibunt me, adhuc sitient. Qui audit me, non confundetur: & qui operantur in me, non peccabunt. Qui elucidant me, vitam æternam habebunt.

℟. *breve.* Elegit eam Deus, * Et præelegit eam. Elegit. ℣. In tabernaculo suo habitare facit eam. * Et præelégit. Gloria Patri. Elegit eam.

℣. Diffusa est gratia in labiis tuis. ℟. Propterea benedixit te Deus in æternum.

Oratio ut supra.

IN II. VESPERIS.

Antiphona: Noli metuere, *cum reliquis ut supra in Laudibus.*

Psalmi consueti ex Officio parvo B. Mariæ V.

Capitulum, Hymnus, & Versus, ut supra in I. Vesperis.

Ad Magnificat Antiphona.

Signum magnum apparuit in Cœlo: Mulier ami-

amicta sole, & luna sub pedibus ejus; & in capite ejus corona stellarum duodecim.

Oratio ut supra.

Die XXX. Octobris.

In Festo sancti Theodoriti Presbyteri Martyris.

Duplex majus.

Omnia de Communi unius Martyris, præter ea, quæ sequuntur.

Oratio.

Deus, qui beatum Theodoritum regali sacerdotio decoratum, in sancta Antiochena Ecclesia pro tua fide Catholica intrepidum permanere voluisti, quem & in ipsa gladii Martyrio coronasti; da nobis, quæsumus: ut, cujus natalitia colimus, ipsius orationibus ab omnibus animæ & corporis protegamur adversis. Per Dominum.

In Primo Nocturno.

Lectiones: Fratres, debitores sumus, *de Communi plurimorum Martyrum, cum* RR. *de Comm. un. Martyris.*

In Secundo Nocturno.

Lectio IV.

Theodoritus, sub Constantino Imperatore, Antiochiæ nobili prosapia genitus, a teneris tam laudabiliter se in litterarum simul, ac virtutum studio exercuit, ut ad sacerdotii dignitatem & munia ejusdem Antiochenæ Ecclesiæ promoveretur. In qua etiam prædicationi Evangelii, & sanctæ fidei Catholicæ promotioni sedulus insistebat, atque in idolorum cultum fervide invehebatur. Mortuo Constantino, successor ejus Julianus apostata, ut odium suum erga res Christianas quasi sub pallio ageret, & furorem exerceret; ipsemet in lon-

ginquo agens, malignæ hujus voluntatis ſuæ executorem avunculum ſuum uti nomine etiam Julianum, ſic & a fide Chriſti apoſtatam conſtituit. Qui commiſſæ huic impietati ut iniquius ſatisfaceret, tam immaniter in Eccleſias, ac fideles animas deſævire cœpit, ut plerique Chriſtiani fuga ſibi conſulere ſatagerent.

℟. Honeſtum fecit illum Dominus, & cuſtodivit eum ab inimicis, & a ſeductoribus tutavit illum: * Et dedit illi claritatem æternam. ℣. Deſcenditque cum illo in foveam: & in vinculis non dereliquit eum. * Et dedit.

Lectio V.

At beatus Theodoritus cum aliis nonnullis intrepidus in ſtatione ſua perſiſtebat, fidei Chriſtianæ veritatem prædicans, & idolorum demonſtrans inanitatem. Quamobrem in tenebroſiſſimum conjectus carcerem, variis modis ad deſerendam fidem Chriſti tentatus eſt. At vero, cum nec promiſſionibus, nec minis moveretur; primum virgis ac fuſtibus cæſus, tum etiam equuleo tortus eſt, adeo, ut corpus ejus ad octo pedes extenderetur: in quibus tormentis beatus martyr nihilominus læto vultu Chriſtum prædicabat, & de equuleo depoſitus, ſimul & toto corpore, Chriſto cooperante, perſanatus eſt.

℟. Deſiderium animæ ejus tribuiſti ei Domine, * Et voluntate labiorum ejus non fraudaſti eum. ℣. Quoniam præveniſti eum in benedictionibus dulcedinis: poſuiſti in capite ejus coronam de lapide pretioſo. * Et voluntate.

Lectio VI.

Julianus autem, hujus iniquitatis commiſſarius, videns ſe hac arte ope-

operam perdere, eo amplius exarsit in Christi martyrem; eumque atrocibus ferramentis in lateribus laniari, atque ardentibus lampadibus aduri mandavit. Inter hæc, tortores, quatuor Angelos sancto Martyri adstare, eumque confortare conspicientes, sic animo commoti sunt: ut & Juliano simul, & Idolorum cultui unanimiter abrenuntiarent; ob quod mandante tyranno mox in gurgite submersi sunt, animante eos beato Theodorito, ut fortiter ad gloriam se præcederent; ipse vero immani per præcordia sibi transadacto gladio, spiritum Deo reddens, secutus est ad coronam.

℟. Stola jucunditatis induit eum Dominus: * Et coronam pulchritudinis posuit super caput ejus. ℣. Cibavit illum Dominus pane vitæ, & intellectus: & aqua sapientiæ salutaris potavit illum. * Et coronam. Gloria Patri. * Et coronam.

In Tertio Nocturno.

Homilia in Evangelium: Si quis venit ad me. *de Communi unius Martyris.*

In II. Vesperis Commem. de sequenti.

NOVEMBER.

Die VI. Novembris.

In Festo sancti Leonardi Abbatis.

Duplex.

Omnia de Communi Confessoris non Pontificis præter ea, quæ sequuntur.

Oratio.

Majestati tuæ, quæsumus Domine beati Leonardi Abbatis nos pia jugiter commendet oratio: ut, quem devoto veneramur officio, ipsius suffragio relevemur optato. Per Dominum.

Commem. Octavæ Omnium Sanctorum.

In Primo Nocturno.

Lectiones de Scriptura occurrente.

In Secundo Nocturno.

Lectio IV.

Leonardus sub Anastasio Imperatore, claris, & magnæ apud Clodovæum Regem dignitatis & authoritatis ortus parentibus, terrena Regis militia, perquam honorata, amore cœlestium spreta, in ipso adolescentiæ robore ad spiritualis militiæ castra sub beato Remigio stipendia facturus confugit. A quo cumprimis didicit, operibus misericordiæ nihil in hac vita pulchrius, nihil suavius, nihil Deo hominibusque gratius esse. Horum igitur studio tantum proficiebat, ut fama ejus miro præconio celebraretur; oblatos quoque a Rege honores declinans, Aureliam contendit.

℟. Honestum fecit illum Dominus, & custodivit eum ab inimicis, & a seductoribus tutavit illum: * Et dedit illi claritatem æternam. ℣. Justum deduxit Dominus per vias rectas, & ostendit illi regnum Dei. * Et dedit.

Lectio V.

Cœlesti deinde monitus oraculo, in Aquitaniam commigravit. Ubi, quoniam recens adhuc erat Christiana Religio, nefariæ superstitionis reliquiæ, in multorum pectoribus relictæ hærebant. Ut igitur vir Dei eas profligaret, dictis factisque Christum annuntians, magnos faciebat fructus, fugabat dæmones, surdos, claudos, cæcos & morbidos quoscumque ad ipsum venientes verbo curabat. Reginam quoque ipso illo tempore ex partu cum mor-

mortis doloribus conflictantem, a rege humiliter rogatus, mox suis ad Deum precibus, partus difficultate liberavit.

℟. Amavit eum Dominus, & ornavit eum: stolam gloriæ induit eum: * Et ad portas paradisi coronavit eum. ℣. Induit eum Dominus loricam fidei, & ornavit eum. * Et ad.

Lectio VI.

Tanto beneficio gavisus Rex, Leonardo munera alia recusanti, nemus donavit, in quo vitam, quam animo elegerat, solitariam degere posset. Ubi oratorium nomine Nobiliacum erexit. Latére autem ipsum summa ejus virtus non patiebatur, sed plurimi ex longinquis ad eum venêre Regionibus, sola nominis ipsius invocatione e vinculis & carceribus liberati, compedes & catenas ad ejus pedes devote abjicientes. Quos ipse, sicut & alios omnes cœlestis disciplinæ amatores, ex variis locis ad ipsum confluentes complectens, in timore Domini educabat, fovebatque virtutum splendore eximio. Plenus denique meritis & virtutibus, ac miraculorum gloria, Octavo Idus Novembris, Anno Domini quingentesimo quinquagesimo nono obdormivit in Domino.

℟. Iste homo perfecit omnia, quæ locutus est ei Deus, & dixit ad eum: Ingredere in requiem meam: * Quia te vidi justum coram me ex omnibus gentibus. ℣. Iste est, qui contempsit vitam mundi, & pervenit ad cœlestia regna. * Quia te vidi. Gloria Patri. * Quia te vidi.

In Tertio Nocturno.

Homilia in Evangelium: Ecce nos reliquimus omnia. *ut in Communi Abbatum.*

In Laudibus Commemoratio Octavæ Omnium Sanctorum.

In II. Vesperis Commem. 1. Octavæ Omnium Sanctorum.

2. Comm. S. Willebrordi Ep. C. ut infra.

Die VII. Novembris.

Septima die infra Octavam Omnium Sanctorum.

Semiduplex.

ut in Romano.

Pro Commemoratione Sancti Willebrordi Episcopi & Confessoris.

Ad Vesperas Antiph. Sacerdos & Pontifex.

℣. Amavit eum Dominus.

Oratio.

Omnipotens sempiterne Deus: qui es Sanctorum tuorum splendor mirabilis; quique hodierna die beatum Willebrordum Confessorem tuum atque Pontificem æterna beatitudinis gloria sublimâsti, concede propitius: ut, qui ejus merita veneramur in terris; intercessionis ejus auxilio apud tuam misericordiam muniamur in cœlis. Per Dominum.

In Laudibus pro ejusdem Commem.

Antiph. Euge serve bone.

℣. Justum deduxit.

Die XI. Novembris.

Sancti Martini Episcopi & Confessoris.

Dupl. II. Classis cum Octava.

Omnia ut in Romano.

In II. Vesperis Commem. sequentis.

Die XII. Novembris.

In Festo sancti Livini Episcopi & Martyris.

Duplex.

Oratio.

Dextera tua, quæsumus, Domine graviter

viter corruentes erigat; & intercessione beati Livini Martyris tui atque Pontificis a peccatorum vinculis, quibus stringimur, eruat; & ab hostium laqueis, quibus tenemur, potenter eripiat. Per Dominum.

In Primo Nocturno.

Lectiones de scriptura occurrente.

In Secundo Nocturno.

Lectio IV.

Livinus Episcopus & Martyr natione Scotus, a teneris annis sic in vitæ sanctitate & vivifica fide in Deum excelluit, ut etiam super aquas ambularet. Hic ob prædicationis Evangelicæ fervorem, relicta patria in Brabantiam devenit; ubi indefessus sacræ eruditioni plebis illius insistens, graves ab infidelibus passus est persecutiones. Nam ab aliis plumbatis cæsus, ab aliis fustibus maceratus est: inter quos quidam Walbertus nomine, instinctu diaboli æstuans, ferrea in os sancti viri missa forcipe, abscissam ejus linguam in conspectu populi projecit, maledictis lacessens, & calumnians doctrinam ejus.

℟. Honestum fecit illum Dominus, & custodivit eum ab inimicis, & a seductoribus tutavit illum: * Et dedit illi claritatem æternam. ℣. Descenditque cum illo in foveam: & in vinculis non dereliquit eum. * Et dedit.

Lectio V.

Quam sceleris immanitatem vindice Deo mox horrende luit; dum ignis descendens ipsum facinorosum, & cum eo alios septendecim, qui cum eo scelus hoc consiliati fuerant, sic consumpsit, ut nec cineres eorum reperirentur. Præco Christi Livinus vero

sibi divinitus restituta lingua majori cum fiducia populo illi jura divina insinuabat. Nihilominus e cœtu malignantium non quiescente, tumultuare contra sanctum Martyrem, unus quidam brachium furibundus extendit, ut virum Dei pugno feriret; at non sine præsenti Dei vindicta: nam extensum brachium statim obriguit, quoad post triduum scelesto illo ad cor redeunte, seque ad pedes Sancti Martyris provolvente, ac veniam humiliter postulante, pristinæ sospitati restitueretur.

℟. Desiderium animæ ejus tribuisti ei Domine, * Et voluntate labiorum ejus non fraudâsti eum. ℣. Quoniam prævenisti eum in benedictionibus dulcedinis: posuisti in capite ejus coronam de lapide pretioso. * Et voluntate.

Lectio VI.

Beatus Livinus vero ad palmam Martyrii anhelans, semetipsum, & animas fidelium exhinc impensius Deo commendabat; cui quadam Dominica, pro more in oratione vigilanti Christus cum discipulis apparuit, invitavitque ad coronam, dicens: Gaude dilecte mi, constanter operare: hodie te recipiam in regnum meum, & gaudebis mecum, & fratribus tuis in æternum. Cumque idcirco Athleta Christi, & se & suos instantius Deo commendaret; adfuit e cœtu malignantium alius Walbertus cum fratre & satellitibus suis, qui sanctum Martyrem, eos suavissime alloquentem, obtruncârunt; cujus anima visa est per Angelos, magna cum claritate in cœlum ferri.

℟. Stola jucunditatis induit eum Dominus: * Et

* Et coronam pulchritudinis posuit super caput ejus. ℣. Cibavit illum Dominus pane vitæ, & intellectus: & aqua sapientiæ salutaris potavit illum. * Et coronam. Gloria Patri. * Et coronam.

In Tertio Nocturno.

Homilia in Evangelium: Si quis vult post me venire. *de Communi unius Martyris 2do loco.*

In Laudibus Commem. Octavæ Sancti Martini Episc. Conf.

In II. Vesperis Commem. 1. sequentis. 2. Octavæ S. Martini Ep. C. 3. S. Brictii Episcopi, & Confessoris ut infra.

Die XIII. Novembris.
In Festo sancti Didaci Confessoris.

Semiduplex.

ut in Romano.

Pro Commemoratione Sancti Brictii Episcopi Turonensis, & Confessoris.

Ad Vesperas Antiph. Sacerdos, & Pontifex.

℣. Elegit eum Dominus sacerdotem sibi. ℟. Ad sacrificandum ei hostiam laudis.

Oratio.

Moveat pietatem tuam, quæsumus, Domine, subjectæ tibi plebis affectus; & misericordiam tuam supplicatio fidelis obtineat: ut, quod meritis non præsumit, per intercessionem sancti Brictii Confessoris tui atqus Pontificis indulgentiæ tuæ pietate percipiat. Per Dominum nostrum.

Lectio IX.

Brictius Sancti Martini discipulus, Diaconus, &, ut prædixit, ejusdem in Episcopatu Turonensi successor; sede pulsus septem annos exulavit, ultro semper confessus: juste se hæc pati, ob injurias sanctissimo magistro illatas. Quem cum mulier impudicitiæ arguisset;

set; adjuratus per Deum triginta dierum ex ea natus infans, innocentiam viri inusitata loquela declaravit. Id cum magicis artibus tribueretur: prunas ardentes in birrum suum posuit, & usque ad sepulchrum Sancti Martini portavit; ubi projectis in terram prunis, vestimentum illæsum apparuit. Ecclesiam quadraginta septem annis in magna rerum varietate gubernans, miraculis clarus obdormivit Idibus Novembris.

Te Deum laudamus.

In Laudibus Comm. 1. Octavæ S. Martini Ep. C. ℣. Amavit.

2. Commem. S. Brictii Episc. C.

Antiph. Euge serve bone.

℣. Elegit eum. *ut supra.*

Die XV. Novembris.

Commemoratio SS. Passionis Domini.

Duplex majus.

AD I. VESPERAS

Antiphonæ.

I. Antiph. Cœpit Jesus pavere & tædere; & ait discipulis suis: Tristis est anima mea usque ad mortem.

Psalm. Dixit Dominus, *cum reliquis de Dominica, & loco ultimi, Ps.* Laudate Dominum omnes gentes.

II. Antiph. Procidit in faciem suam, orans & dicens: Pater mi, si possibile est, transeat a me calix iste; verumtamen non mea voluntas, sed tua fiat.

III. Antiph. Ecce appropinquavit hora, & Filius hominis tradetur in manus peccatorum. Surgite, eamus: ecce appropinquavit, qui me tradet.

IV. Antiph. Hæc est hora vestra, & potestas tenebrarum. Tunc accesserunt, & manus injecerunt in Jesum, & duxe-

xerunt ad domum Principis sacerdotum.

V. Antiph. Princeps sacerdotum scidit vestimenta sua, dicens: Blasphemavit. Quid adhuc egemus testibus? At illi dixerunt: Reus est mortis.

Capitulum. *Hebr.* 5.

Christus in diebus carnis suæ, preces supplicationesque cum clamore valido & lacrymis offerens, exauditus est pro sua reverentia; & factus est obtemperantibus sibi causa salutis æternæ.

Hymnus.

Fando quis audivit? Dei
Quis grande dicat brachium?
Perculsa mens confunditur;
Stupet fides, vox deficit.

Ab orbe, Jesu, condito
Occisus agnus, nunc Patri
Priscis adumbratam sacris
Ardes litare victimam.

At cur humi stratus jaces?
Quis iste mœrentis pavor?
Quis iste qui toto fluit
Sudor cruentus corpore?

Hunc vis doloris exprimit,
Horrorque teter criminum:
Vices nocentum sustinens,
Iram reformidas Patris.

Te terret objectus calix:
At ille, ni totum bibas,
Per sempiterna nos manet
Exhauriendus secula.

Vincet pavorem charitas;
Vincet voluntas patria:
Temet potestati, Deus
Tradis tenebrarum volens.

Et jam flagellis, ictibus,
Ludibriis, spinis, Cruci,
Piacularis hostia,
Voves adorandum caput.

Qui Filium tradit, Patri,
Natoque sit laus victimæ;
Par sit tibi laus, qui sacram
Succendis aram, Spiritus.
Amen.

℣. Libera me a persequentibus me. ℟. Quia confortati sunt super me.

Ad Magnificat Antiph.

Viri qui tenebant illum, illudebant ei, & conspuerunt in faciem ejus, & colaphis cæciderunt, & interrogabant eum dicentes: Prophetiza, quis est, qui te percussit?

Oratio.

Deus, qui per Unigenitum tuum passum & humiliatum usque ad mortem, antiqui hostis contrivisti superbiam: da fidelibus tuis, & quæ ipse propter nos pertulit, digne recolere, & adversa omnia ejus exemplo patienter tolerare. Qui tecum vivit & regnat in unitate Spiritus Sancti Deus. Per omnia secula seculorum.

Commem. 1. præcedentis.

Antiph. Qui vult venire.

℣. Justus ut palma.

2. Commem. Octavæ S. Martini Episc. Conf.

Antiph. O beatum Pontificem.

℣. Justum deduxit.

AD MATUTINUM.

Invitat. Regem regum pro nobis passum * Venite adoremus.

Psalm. Venite, exultemus.

Hymnus.

Opprobriis, Jesu, satur,
Ligni fatiscens pondere,
Ferale, verus Isaac,
Ma-

Mactandus ascendis jugum.

Clavis statim trabalibus
Fixus manus, fixus pedes,
Sublime terris, omnibus
Attolleris spectaculum.

In nos o æterni Patris
Incomprehensa charitas!
Insons cruentæ Filius
Pro sontibus morti datur.

Illo lavari sanguine
Oportuit mundi scelus;
Talem severa Numinis
Poscebat ira victimam.

Crux debitæ nos vinculo
Damnationis eximit;
Et pacis æterno ligat
Terras polumque fœdere.

Qui Filium tradit, Patri,
Natoque sit laus victimæ:
Par sit tibi laus, qui sacram
Succendis aram, Spiritus.
Amen.

In Primo Nocturno.

I. Antiph. Proprio Filio suo non pepercit Deus; sed pro nobis omnibus tradidit illum.

Psalm. Beatus vir. *ut supra 2. Sept. in Susceptione Coronæ Domini pag. 188.*

II. Antiph. Hostiam & oblationem noluisti; corpus autem aptasti mihi. Tunc dixi: Ecce venio.

Psalm. Quare fremuerunt gentes. *pag. 189.*

III. Antiph. Sustinui, qui simul contristaretur, & non fuit; & qui consolaretur, & non inveni.

Psalm. Domine, quid multiplicati. *pag. 190.*

℣. Ad te clamavi, dum anxiaretur cor meum. ℟. Quia factus es spes mea, Deus.

De Isaia Propheta.

Lectio I. *Cap.* 53.

Vidimus eum, & non erat aspectus, & desideravimus eum: despectum & novissimum virorum, virum dolorum,

rum, & scientem infirmitatem: & quasi absconditus vultus ejus & despectus, unde nec reputavimus eum. Vere languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portavit: & nos reputavimus eum quasi leprosum, & percussum a Deo, & humiliatum. Ipse autem vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra: disciplina pacis nostræ super eum, & livore ejus sanati sumus.

℟. Dicebant Petro: Vere ex illis es. * Ille cœpit anathematizare, & jurare: Quia nescio hominem istum, quem dicitis. ℣. Inquilini domus meæ sicut alienum habuerunt me, & quasi peregrinus fui in oculis eorum. * Ille cœpit.

Lectio II.

Omnes nos quasi oves erravimus, unusquisque in viam suam declinavit: & posuit Dominus in eo iniquitatem omnium nostrum. Oblatus est, quia ipse voluit, & non aperuit os suum: sicut ovis ad occisionem ducetur, & quasi agnus coram tondente se obmutescet, & non aperiet os suum. De angustia, & de judicio sublatus est: generationem ejus quis enarrabit? quia abscissus est de terra viventium: propter scelus populi mei percussi eum. Et dabit impios pro sepultura, & divitem pro morte sua: eo quod iniquitatem non fecerit, neque dolus fuerit in ore ejus.

℟. Exivit Pilatus ad eos foras, & dixit: Quam accusationem affertis adversus hominem hunc? Responderunt: * Si non esset hic malefactor, non tibi tradidissemus eum. ℣. Locuti sunt sacerdotes: Judicium mortis est viro huic, quia prophetavit,

tavit, sicut audistis auribus vestris. * Si non esset.

Lectio III.

Et Dominus voluit conterere eum in infirmitate: si posuerit pro peccato animam suam, videbit semen longævum, & voluntas Domini in manu ejus dirigetur. Pro eo quod laboravit anima ejus, videbit & saturabitur: in scientia sua justificabit ipse justus servus meus multos, & iniquitates eorum ipse portabit. Ideo dispertiam ei plurimos: & fortium dividet spolia, pro eo quod tradidit in mortem animam suam, & cum sceleratis reputatus est: & ipse peccata multorum tulit, & pro transgressoribus rogavit.

℟. Interrogabat Herodes Jesum multis sermonibus; at ipse nihil illi respondebat. * Sprevit autem illum cum exercitu suo, & * Illusit indutum veste alba, & remisit ad Pilatum. ℣. Subsannaverunt me subsannatione: frenduerunt dentibus suis, & dilataverunt super me os suum. * Sprevit autem. Gloria Patri. * Illusit indutum.

In Secundo Nocturno.

Antiph. Ego sum vermis & non homo, opprobrium hominum, & abjectio plebis.

Psalmus 16.

Exaudi Domine justitiam meam: intende deprecationem meam.

Auribus percipe orationem meam: non in labiis dolosis.

De vultu tuo judicium meum prodeat: oculi tui videant æquitates.

Probásti cor meum, & visitásti nocte: igne me examinasti, & non est inventa in me iniquitas.

Ut non loquatur os meum opera hominum: propter verba labiorum

tuorum ego custodivi vias duras.

Perfice gressus meos in semitis tuis: ut non moveantur vestigia mea.

Ego clamavi, quoniam exaudisti me Deus: inclina aurem tuam mihi, & exaudi verba mea.

Mirifica misericordias tuas: qui salvos facis sperantes in te.

A resistentibus dexteræ tuæ custodi me: ut pupillam oculi.

Sub umbra alarum tuarum protege me: a facie impiorum qui me afflixerunt.

Inimici mei animam meam circumdederunt, & adipem suum concluserunt: os eorum locutum est superbiam.

Projicientes me nunc circumdederunt me: oculos suos statuerunt declinare in terram.

Susceperunt me sicut leo paratus ad prædam: & sicut catulus leonis habitans in abditis.

Exurge Domine, præveni eum, & supplanta eum: eripe animam meam ab impio, frameam tuam ab inimicis manus tuæ.

Domine a paucis de terra divide eos in vita eorum: de absconditis tuis adimpletus est venter eorum.

Saturati sunt filiis: & dimiserunt reliquias suas parvulis suis.

Ego autem in justitia apparebo conspectui tuo: satiabor, cum apparuerit gloria tua.

Antiph. Ego sum vermis & non homo, opprobrium hominum, & abjectio plebis.

Antiph. Supra dorsum meum fabricaverunt peccatores: prolongaverunt iniquitatem suam.

Psalmus 27.

Ad te Domine clamabo, Deus meus ne sileas a me: nequando taceas a me, & assimilabor descendentibus in lacum.

Ex-

Exaudi Domine vocem deprecationis meæ, dum oro ad te: dum extollo manus meas ad templum sanctum tuum.

Ne simul trahas me cum peccatoribus: & cum operantibus iniquitatem ne perdas me.

Qui loquuntur pacem cum proximo suo: mala autem in cordibus eorum.

Da illis secundum opera eorum: & secundum nequitiam adinventionum ipsorum.

Secundum opera manuum eorum tribue illis: redde retributionem eorum ipsis.

Quoniam non intellexerunt opera Domini, & in opera manuum ejus: destrues illos, & non ædificabis eos.

Benedictus Dominus: quoniam exaudivit vocem deprecationis meæ.

Dominus adjutor meus, & protector meus: in ipso speravit cor meum, & adjutus sum.

Et refloruit caro mea: & ex voluntate mea confitebor ei.

Dominus fortitudo plebis suæ: & protector salvationum Christi sui est.

Salvum fac populum tuum Domine, & benedic hæreditati tuæ: & rege eos, & extolle illos usque in æternum.

Antiph. Supra dorsum meum fabricaverunt peccatores: prolongaverunt iniquitatem suam.

Antiph. Ego quasi agnus, qui portatur ad victimam; cogitaverunt super me consilia, dicentes: Eradamus eum de terra viventium.

Psalmus 38.

Dixi, custodiam vias meas: ut non delinquam in lingua mea.

Posui ori meo custodiam: cum consisteret peccator adversum me.

Obmutui, & humiliatus sum, & silui a bonis: & dolor meus renovatus est.

Concaluit cor meum intra me: & in meditatione mea exardescet ignis.

Locutus sum in lingua mea: Notum fac mihi Domine finem meum.

Et numerum dierum meorum quis est: ut sciam quid desit mihi.

Ecce mensurabiles posuisti dies meos: & substantia mea tanquam nihilum ante te.

Verumtamen universa vanitas: omnis homo vivens.

Verumtamen in imagine pertransit homo: sed & frustra conturbatur.

Thesaurizat: & ignorat, cui congregabit ea.

Et nunc quæ est expectatio mea? nonne Dominus: & substantia mea apud te est.

Ab omnibus iniquitatibus meis erue me: opprobrium insipienti dedisti me.

Obmutui, & non aperui os meum, quoniam tu fecisti: amove a me plagas tuas.

A fortitudine manus tuæ ego defeci in increpationibus: propter iniquitatem corripuisti hominem.

Et tabescere fecisti sicut araneam animam ejus: verumtamen vane conturbatur omnis homo.

Exaudi orationem meam Domine, & deprecationem meam: auribus percipe lacrymas meas.

Ne sileas, quoniam advena ego sum apud te, & peregrinus: sicut omnes patres mei.

Remitte mihi, ut refrigerer priusquam abeam: & amplius non ero.

Antiph. Ego quasi agnus, qui portatur ad victimam; cogitaverunt

super

super me consilia, dicentes: Eradamus eum de terra viventium.

℣. De ore leonis libera me Domine. ℟. Et a cornibus unicornium humilitatem meam.

Sermo sancti Leonis Papæ.

Sermone 9. de Passione Domini.

Lectio IV.

Sacramentum, dilectissimi, Dominicæ Passionis in salutem generis humani ante tempora æterna dispositum, & per multas significationes omnibus retro seculis nuntiatum, non adhuc expectamus manifestandum, sed jam adoramus impletum: concurrentibus ad eruditionem nostram & novis testimoniis, & antiquis, dum quod prophetica cecinit tuba, Evangelica pandit historia, & sicut scriptum est: *Abyssus abyssum invocat in voce cataractarum;* quoniam ad enarrandam gloriam gratiæ Dei, paribus sibi vocibus utriusque testamenti altitudo respondet: & quod erat sub velamine figurarum profundum, fit revelata luce perspicuum.

℟. Quem vultis, dimittam vobis; Barabbam an Jesum? Dixerunt: Barabbam. * Quid igitur faciam de Jesu? Dicunt omnes: crucifigatur. ℣. Dixerunt: Rogamus, ut occidatur homo iste; siquidem non quærit pacem populo, sed malum. * Quid igitur.

Lectio V.

Sic tamen inter illa miracula Salvatoris, quæ sub populorum gerebantur aspectu, pauci veritatis præsentiam sentiebant; ipsique discipuli voluntaria Domini Passione turbati, non evaserant scandalum crucis sine tentatione formidinis. Unde fides nostra

intelligentiam sumeret, unde constantia robur acciperet, nisi, quæ facta cognoscimus, prædicta legeremus? Peracto igitur, dilectissimi, Salvatoris triumpho, & consummatis dispensationibus, quas omnia veteris testamenti eloquia nuntiarunt, lugeat carnalis Judæus, sed spiritualis gaudeat Christianus: & festivitas, quæ illis conversa est in noctem, nobis coruscet in lucem, quoniam Crux Christi eadem est & credentium gloria, & non credentium pœna.

℟. Jesum flagellis cæsum milites induunt purpura, & imponunt ei spineam coronam, & cœperunt salutare eum: Ave, Rex Judæorum; & *Percutiebant caput ejus arundine, & conspuebant eum. ℣. Corpus meum dedi percutientibus, & genas meas vellentibus, faciem meam non averti a conspuentibus in me. * Percutiebant.

Lectio VI.

Hoc illud est sacramentum, cui ab initio omnia sunt famulata mysteria. Nunc sanguis justi Abel mortem summi Pastoris eloquitur, & in parricidio Judæorum Cain interfector fratris agnoscitur. Nunc diluvium & Noë arca manifestat, quid sit renovationis in baptismo, & quid salutis in ligno. Quamvis igitur furentes Judæi fecerint in Dominum Jesum, quæcunque voluerunt, & suscepti hominis veritatem nullis eorum ausibus potestas divina subtraxerit: patientia tamen Domini consilii sui munus implevit, & pertinacia sacrilegæ crudelitatis profecit operi Salvatoris, quod non scribæ, non Pharisæi nec summi intellexére Pontifices. Nec ipse itaque Dia-

Diabolus intellexit, quod sæviendo in Christum, suum destrueret principatum: qui antiquæ fraudis jura non perderet, si se a sanguine Domini Jesu contineret. Sed malitia nocendi avidus, dum irruit, ruit; dum capit, captus est, dum persequitur mortalem, incidit in Salvatorem.

℟. Susceperunt Jesum, & eduxerunt. * Et bajulans sibi crucem exivit Jesus in eum, qui dicitur Calvariæ, locum. ℣. Tulit Abraham ligna holocausti, & imposuit super Isaac filium suum. * Et bajulans. Gloria Patri. * Et bajulans.

In Tertio Nocturno.

Antiph. Torcular calcavi solus, & de gentibus non est vir mecum.

Psalmus 40.

Beatus qui intelligit super egenum & pauperem: in die mala liberavit eum Dominus.

Dominus conservet eum, & vivificet eum, & beatum faciat eum in terra: & non tradat eum in animam inimicorum ejus.

Dominus opem ferat illi super lectum doloris ejus: universum stratum ejus versasti in infirmitate ejus.

Ego dixi, Domine miserere mei: sana animam meam, quia peccavi tibi.

Inimici mei dixerunt mala mihi: Quando morietur, & peribit nomen ejus?

Et si ingrediebatur, ut videret, vana loquebatur: cor ejus congregavit iniquitatem sibi.

Egrediebatur foras: & loquebatur in idipsum.

Adversum me susurrabant omnes inimici mei: adversum me cogitabant mala mihi.

Verbum iniquum con-

ſtituerunt adverſum me: Numquid qui dormit, non adjiciet, ut reſurgat?

Etenim homo pacis meæ, in quo ſperavi: qui edebat panes meos, magnificavit ſuper me ſupplantationem.

Tu autem Domine miſerere mei, & reſuſcita me: & retribuam eis.

In hoc cognovi, quoniam voluiſti me: quoniam non gaudebit inimicus meus ſuper me.

Me autem propter innocentiam ſuſcepiſti: & confirmáſti me in conſpectu tuo in æternum.

Benedictus Dominus Deus Iſrael a ſeculo, & usque in ſeculum: fiat, fiat.

Antiph. Torcular calcavi ſolus, & de gentibus non eſt vir mecum.

Antiph. A planta pedis usque ad verticem capitis non eſt in eo ſanitas; vulnus, & livor, & plaga tumens.

Pſalmus 56.

Miſerere mei Deus, miſerere mei: quoniam in te confidit anima mea.

Et in umbra alarum tuarum ſperabo: donec tranſeat iniquitas.

Clamabo ad Deum Altiſſimum: Deum, qui benefecit mihi.

Miſit de cœlo, & liberavit me: dedit in opprobrium conculcantes me.

Miſit Deus miſericordiam ſuam, & veritatem ſuam: & eripuit animam meam de medio catulorum leonum, dormivi conturbatus.

Filii hominum, dentes eorum arma, & ſagittæ: & lingua eorum gladius acutus.

Exaltare ſuper cœlos Deus: & in omnem terram gloria tua.

Laqueum paraverunt pedibus meis: & incurvaverunt animam meam.

Fo-

Foderunt ante faciem meam foveam: & inciderunt in eam.

Paratum cor meum Deus, paratum cor meum: cantabo, & psalmum dicam.

Exurge gloria mea, exurge psalterium & cithara: exurgam diluculo.

Confitebor tibi in populis Domine: & psalmum dicam tibi in gentibus.

Quoniam magnificata est usque ad cœlos misericordia tua: & usque ad nubes veritas tua.

Exaltare super cœlos Deus: & super omnem terram gloria tua.

Antiph. A planta pedis usque ad verticem capitis non est in eo sanitas; vulnus, & livor, & plaga tumens.

Antiph. Humiliavit semetipsum, factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis.

Psalmus 87.

Domine Deus salutis meæ: in die clamavi, & nocte coram te.

Intret in conspectu tuo oratio mea: inclina aurem tuam ad precem meam.

Quia repleta est malis anima mea: & vita mea inferno appropinquavit.

Æstimatus sum cum descendentibus in lacum: factus sum sicut homo sine adjutorio, inter mortuos liber.

Sicut vulnerati dormientes in sepulchris, quorum non es memor amplius: & ipsi de manu tua repulsi sunt.

Posuerunt me in lacu inferiori: in tenebrosis, & in umbra mortis.

Super me confirmatus est furor tuus: & omnes fluctus tuos induxisti super me.

Longe fecisti notos meos a me: posuerunt me abominationem sibi.

Traditus sum, & non egrediebar: oculi mei languerunt præ inopia.

Clamavi ad te Domine tota die: expandi ad te manus meas.

Numquid mortuis facies mirabilia: aut medici suscitabunt, & confitebuntur tibi?

Numquid narrabit aliquis in sepulchro misericordiam tuam: & veritatem tuam in perditione?

Numquid cognoscentur in tenebris mirabilia tua: & justitia tua in terra oblivionis?

Et ego ad te Domine clamavi: & mane oratio mea præveniet te.

Ut quid Domine repellis orationem meam: avertis faciem tuam a me?

Pauper sum ego, & in laboribus a juventute mea: exaltatus autem, humiliatus sum, & conturbatus.

In me transierunt iræ tuæ: & terrores tui conturbaverunt me.

Circumdederunt me sicut aqua tota die: circumdederunt me simul.

Elongasti a me amicum, & proximum, & notos meos a miseria.

Antiph. Humiliavit semetipsum, factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis.

℣. Videbunt, in quem transfixerunt. ℟. Et dolebunt super eum, ut in morte primogeniti.

Lectio sancti Evangelii secundum Joannem.

Lectio VII. Cap. 19.

In illo tempore: Apprehendit Pilatus Jesum, & flagellavit. Et milites plectentes coronam de spinis, imposuerunt capiti ejus: & veste purpurea circumdederunt eum. Et reliqua.

Homilia sancti Augustini Episcopi.

Tractatu 116. in Joann. ad initium.

Cum

Cum Judæi clamassent, non Jesum a Pilato sibi dimitti velle per Pascha, sed Barabbam latronem; non Salvatorem, sed interfectorem; non Datorem vitæ, sed ademptorem: *Tunc apprehendit Pilatus Jesum, & flagellavit.* Et hoc Pilatus non ob aliud fecisse credendus est, nisi, ut ejus injuriis Judæi satiati, sufficere sibi existimarent, & usque ad ejus mortem sævire desisterent. Ad hoc pertinet, quod ipse Præses cohortem suam etiam permisit facere, quæ sequuntur.

℟. Crucifixerunt Jesum, & latrones, unum a dextris, & alterum a sinistris. Jesus autem dicebat: * Pater, dimitte illis; non enim sciunt, quid faciunt. ℣. Cum sceleratis reputatus est; & ipse peccata multorum tulit, & pro transgressoribus rogavit. * Pater, dimitte.

Lectio VIII.

Aut fortassis & jussit, quamvis hoc Evangelista tacuerit. Dixit enim, quid deinde fecerint milites, Pilatum tamen id jussisse non dixit. *Et milites*, inquit, *plectentes coronam de spinis imposuerunt capiti ejus, & veste purpurea circumdederunt eum, & dicebant: Ave, Rex Judæorum; & dabant ei alapas.* Sic implebantur, quæ de se prædixerat Christus. Sic Martyres informabantur ad omnia, quæ persecutoribus libuisset facere, perferenda: sic paulisper occultata tremenda potentia, commendabatur prius imitanda patientia.

℟. Foderunt manus meas & pedes meos: dinumeraverunt omnia ossa mea; ipsi vero * Considerraverunt, & inspexerunt me: * Tu autem Domine, ne elongaveris auxilium tuum a me.

℣. O

℣. O vos omnes, qui transitis per viam; attendite, & videte, si est dolor, sicut dolor meus! * Considerate.

Gloria Patri. * Tu autem.

Lectio IX.

Sic regnum, quod de hoc mundo non erat, superbum mundum non atrocitate pugnandi, sed patiendi humilitate vincebat. Sic illud granum multiplicandum seminabatur horribili contumelia, ut mirabiliter pullularet in gloria. Exiit iterum Pilatus foras, & dicit eis: *Ecce, adduco eum foras, ut cognoscatis, quia nullam in eo causam invenio.* (Exiit ergo Jesus portans spineam coronam, & purpureum vestimentum.) *Et dicit eis: Ecce homo.* Hic apparet, non ignorante Pilato hæc a militibus facta; sive jusserit ea, sive permiserit: illa scilicet causa, quam supra diximus: ut hæc ejus ludibria inimici libentissime biberent, & ulterius sanguinem ejus non sitirent.

Te Deum laudamus.

AD LAUDES,
& per Horas.

I. Antiph. Posuit Pilatus titulum super crucem. Erat autem scriptum: Jesus Nazarenus, Rex Judæorum.

Psalm. Dominus regnavit, *cum reliquis de Dominica.*

II. Antiph. Prætereuntes blasphemabant eum, moventes capita sua, & dicentes: Salva temetipsum; si Filius Dei es, descende de Cruce.

III. Antiph. Cum vidisset Jesus matrem, & discipulum stantem, quem diligebat, dicit matri suæ: Mulier, ecce Filius tuus; deinde dicit discipulo: Ecce mater tua.

IV. Antiph. Cum accepisset Jesus acetum, dixit: Consummatum est. Et clamans voce magna, ait:

ait: Pater, in manus tuas commendo spiritum meum. Et inclinato capite tradidit spiritum.

V. Antiph. Ad Jesum cum venissent, ut viderunt eum jam mortuum, non fregerunt ejus crura: sed unus militum lancea latus ejus aperuit, & continuo exivit sanguis & aqua.

Capitulum. *Hebr.* 12.

Curramus per patientiam ad propositum nobis certamen; aspicientes in Auctorem fidei, & Consummatorem Jesum; qui proposito sibi gaudio sustinuit crucem, confusione contempta.

Hymnus.

Dum, Christe, confixus cruci
Agis supremos spiritus,
Fac nos salubri figere
Intenta ligno lumina.

Anguis veneno perfidi
Inflicta nobis vulnera
Pendentis e celsa trabe
Sanabit aspectus Dei.

Hic nos olympo parturis;
Hic Martyres formas tuos;
Hic ultimo sanctam fidem
Fundas amoris pignore.

Hinc cuncta terrarum, suo
Regnator ut sedens throno,
Utrinque protensæ manus
Virtute Divina trahis.

Nos ergo cœlestis thronum
Sinas adire gratiæ,
Pedemque complexos crucis
Tuo rigari sanguine.

O spes salutis omnium,
Crux vera mundi gloria,
Infixa semper hæreas,
Imisque regnes cordibus.

Qui Filium tradit, Patri,

Na-

Natoque sit laus victimæ:
Par sit tibi laus, qui sacram
Succendis aram Spiritus.
Amen.

℣. Disciplina pacis nostræ super eum. ℟. Et livore ejus sanati sumus.

Ad Benedictus Antiph.

Omnis turba eorum, qui simul aderant ad spectaculum istud, & videbant, quæ fiebant, percutientes pectora sua revertebantur.

Oratio.

Deus, qui per Unigenitum tuum passum & humiliatum usque ad mortem, antiqui hostis contrivisti superbiam: da fidelibus tuis, & quæ ipse propter nos pertulit, digne recolere, & adversa omnia ejus exemplo patienter tolerare. Qui tecum vivit & regnat in unitate Spiritus sancti Deus.

Commem. Octavæ S. Martini Episcopi & Confessoris.

Ad Primam.

Antiph. Posuit Pilatus titulum. *ex Laudibus.*

In ℟io brevi ℣. Qui passus es pro nobis.

Ad Tertiam.

Antiph. Prætereuntes blasphemabant.

Capitulum. Hebr. 12. Curramus per patientiam. *ut supra in Laudibus.*

℟r. breve. Vere languores nostros * Ipse tulit. Vere.

℣. Et dolores nostros ipse portavit. * Ipse tulit. Gloria Patri. Vere languores.

℣. Disciplina pacis nostræ super eum. ℟. Et livore ejus sanati sumus.

Oratio ex Laudibus.

Ad Sextam.

Antiph. Cum vidisset Jesus.

Capi-

Capitulum. 1. *Petr.* 2.

Christus passus est pro nobis: qui peccatum non fecit, peccata nostra ipse pertulit in corpore suo super lignum; ut peccatis mortui, justitiæ vivamus.

℟. *breve.* Ipse vulneratus est * Propter iniquitates nostras. Ipse. ℣. Attritus est propter scelera nostra. * Propter iniquitates. Gloria Patri. Ipse vulneratus. ℣. Oblatus est, quia ipse voluit. ℟. Et non aperuit os suum.

Ad Nonam.

Antiph. Ad Jesum cum veniissent.

Capitulum. *Zach.* 13.

In die illa erit fons patens domui David, & habitantibus Jerusalem, in ablutionem peccatoris.

℟. *breve.* Deus, Rex noster * Operatus est salutem. Deus. ℣. In medio terræ. * Operatus. Gloria Patri. Deus, Rex noster.

℣. Apud Dominum misericordia. ℟. Et copiosa apud eum redemptio.

IN II. VESPERIS.

Antiph. Posuit Pilatus, *cum reliquis de Laudibus. Psalmus:* Dixit Dominus, *cum reliquis de Dominica, & loco ultimi, Psalmus:* Credidi.

Capitulum. *Hebr.* 12.

Curramus per patientiam; *ut supra in Laudibus.*

Hymnus.

Dum spargit aram sanguine
Jesus salutis hostia,
Præsens doloris æmulum
Maria pectus immolat.

Caput cruentum Filii
Matris coronat verticem:
Clavis iisdem figitur
Christus Cruci, Christo parens.

O pas-

O passionis mutuæ,
Jesu, Maria, Conscii!
Alterna vobis vulnera
Inferre tandem parcite.

Quem vos doletis, noster est
Error furorque criminum:
Totum scelus fatentibus
Partem doloris reddite.

Qui Filium tradit, Patri,
Natoque sit laus victimæ;
Par sit tibi laus, qui sacram
Succendis aram, Spiritus.
Amen.

℣. Videbunt, in quem transfixerunt. ℟. Et dolebunt super eum, ut in morte Primogeniti.

Ad Magnificat Antiphona.

Deponentes Dominum de Cruce, posuerunt eum in monumento, quod erat excisum in petra, in quo nondum quisquam positus fuerat.

Oratio ut supra.

Commem. 1. sequentis.

2. Octavæ sancti Martini Episc. Conf.

3. Sancti Othmari Abbatis, ut infra.

Die XVI. Novembris.

Sanctæ Gertrudis Islebiensis Virginis.

Duplex.

Omnia ut in Breviario Romano.

Pro Commemoratione Sancti Othmari Abbatis.

Antiph. Similabo eum. ℣. Amavit eum Dominus.

Oratio.

Beati Othmari Abbatis supplicatione, quæsumus Domine, plebs tua benedictionem tuam percipiat; ut de ejus meritis & felicitate glorietur, & æternæ societatis lætitia gratuletur. Per Dominum.

Lectio IX.

Othmarus natione Germanus, vir doctrina & vitæ sanctitate præ-

præclarus, atque præcipua in pauperes charitate: a Pipino Rege, cui chariſſimus erat, magnam vim pecuniæ acceptam, ita largiter pauperibus diſpertiri cœpit, ut perpaucos ad cœnobium obolos reportarit. Hic mendicantium pedes lavabat, lepra laborantium ulcera tergebat, atque ut eorum tegeret nuditatem, ſuas etiam ſibi veſtes detrahebat. Egregia fuit ſancti Viri abſtinentia, vigiliarum, orationis aſſiduitas, & reliquarum ſtudium virtutum. Sancti Galli monaſterio præpoſitus, dum illius jura ſtrenue contra potentiorum cupiditatem, inſolentiamque defendit, inedia & ſqualore in carcere confectus migravit ad Dominum. Sacrum ejus corpus in æde S. Galli religioſe conditum aſſervatur.

Te Deum laudamus.

In Laudibus Commem. 1. Octavæ S. Martini Ep. Conf.

2. Comm. S. Othmari Abbatis.

Antiph. Euge ſerve bone.

℣. Amavit eum.

Oratio ut ſupra.

Die XVIII. Novembris.

Octava ſancti Martini Epiſcopi & Confeſſoris.

Duplex.

Omnia ut in die Feſti, exceptis ſequentibus.

In Primo Nocturno.

Lectiones de ſcriptura occurrente.

In Secundo Nocturno.

Sermo ſancti Gregorii Papæ.

Part. 2. Paſtoralis, cap. 1.

Lectio IV.

Tantum debet actionem populi actio transcendere Præſulis, quantum diſtare ſolet a grege vita paſtoris. O-

portet namque, ut metiri se solicite studeat, quanta tenendæ rectitudinis necessitate constringitur, sub cujus æstimatione populus grex vocatur. Sit ergo, necesse est, cogitatione mundus, actione præcipuus, discretus in silentio, utilis in verbo, singulis compassione proximus, præ cunctis contemplatione suspensus, bene agentibus per humilitatem socius, contra delinquentium vitia per zelum justitiæ erectus, internorum curam in exteriorum occupatione non minuens, exteriorum providentiam in internorum solicitudine non relinquens.

℟. Oculis ac manibus in cœlum semper intentus, * Invictum ab oratione spiritum non relaxabat. ℣. Dum sacramenta offerret beatus Martinus, globus igneus apparuit super caput ejus. * Invictum.

Lectio V.

Considerandum quoque est, quia cum curam populi electus Præsul suscipit, quasi ad ægrum medicus accedit. Si ergo adhuc in ejus corpore passiones vivunt, qua præsumptione percussum mederi properat, qui in facie vulnus portat? Ille igitur modis omnibus debet ad exemplum bene vivendi pertrahi, qui cunctis carnis passionibus moriens, jam spiritualiter vivit, qui prospera mundi postponit, qui nulla adversa pertimescit, qui sola interna desiderat. Cujus intentioni bene congruens, nec omnino per imbecillitatem corpus, nec valde per contumaciam repugnat spiritus. Qui ad aliena cupienda non ducitur, sed propria largitur.

℟. Beatus Martinus obitum suum longe ante præscivit, dixitque fratri-

tribus: * Dissolutionem sui corporis imminere, quia judicabat se jam resolvi. ℣. Viribus corporis cœpit repente destitui, convocatisque discipulis dixit. * Dissolutionem.

Lectio VI.

Unde ipsum quoque Episcopatus officium, boni operis expressione definitur, cum dicitur: *Si quis Episcopatum desiderat, bonum opus desiderat.* Ipse ergo sibi testis est, quia Episcopatum non appetit, qui non per hunc boni operis ministerium, sed honoris gloriam quærit. Sacrum quippe officium, non solum non diligit omnino, sed nescit, qui ad culmen regiminis anhelans, in occulta meditatione cogitationis, cæterorum subjectione pascitur, laude propria lætatur, ad honorem cor elevat, rerum affluentium abundantia exultat. Mundi ergo lucrum quæritur sub ejus honoris specie, quo mundi destrui lucra debuerant.

℟. Dixerunt discipuli ad beatum Martinum: Cur nos pater deseris, aut cui nos desolatos relinquis? * Invadent enim gregem tuum lupi rapaces. ℣. Scimus quidem desiderare te Christum, sed salva sunt tibi tua præmia, nostri potius miserere, quos deseris. * Invadent. Gloria Patri. * Invadent.

In Tertio Nocturno.

Lectio sancti Evangelii secundum Lucam.

Lectio VII. *Cap.* 11.

In illo tempore: Dixit Jesus discipulis suis: Nemo lucernam accendit, & in abscondito ponit, neque sub modio, sed supra candelabrum, ut, qui ingrediuntur, lumen videant. Et reliqua.

Homilia sancti Joannis Chrysostomi.

In Matth. Homil. 21. *circa medium.*

Lucerna corporis tui est oculus tuus. Quod oculus corpori, hoc intellectus est animæ. Ut enim nequaquam optes auro ornari, veste serica conspici, si sit oculis tibi carendum, sed horum procul dubio sanitatem desiderabiliorem rebus omnibus judicares; quæ si tibi certe depereat, nihil te jam tota vita delectat: quanto magis pro oculis debes mentis efficere? Sicut enim postquam corporalium oculorum lumen extinctum est, pleraque jam membra suo usu, & officio carent: ita etiam mente cœcata, innumeris prorsus malis vita cumulatur.

℟. O beatum virum, in cujus transitu sanctorum canit numerus, Angelorum exultat chorus, * Omniumque cœlestium Virtutum occurrit psallentium exercitus. ℣. Ecclesia virtute roboratur, sacerdotes Dei revelatione glorificantur, quem Michael assumpsit cum Angelis. * Omniumque.

Lectio VIII.

Quemadmodum igitur in corpore hoc maxime providemus, ut oculos habeamus incolumes: sic etiam in anima, intellectus conservemus salutem. Si vero cœcamus istum, quo aliis quoque debemus lumen inferre: unde jam ipsi poterimus aspicere? Sicut enim, qui caput ipsum fontis obstruxit, totum simul exsiccavit & fluvium: sic etiam qui oculum mentis tenebris obduxit, omnes quoque vitæ istius actus una confusione cœcavit. Propter quod ait: *Si lumen, quod in te est, tenebræ sunt,* ipsæ tenebræ quantæ erunt?

℟. Mar-

℟. Martinus Abrahæ sinu lætus excipitur: Martinus hic pauper & modicus, * Cœlum dives ingreditur, hymnis cœlestibus honoratur. ℣. Martinus Episcopus migravit à seculo: vivit in Christo gemma sacerdotum. * Cœlum dives. Gloria Patri. * Cœlum.

Lectio IX.

Quando enim lucerna extinguitur, quando gubernator mergitur, quando dux ipse capitur: quæ tandem subditis supererit spes salutis? Propterea nunc quidem omisit dicere eas, quæ divitiis tenduntur, insidias, lites videlicet ac pugnas: sed ponens his omnibus sæviora, & quæ absque dubio semper accidunt, a maligna concupiscentia liberat audientes. Etenim multo horribilius est, mentem huic ægritudini mancipare, quam carceris squalore macerari. Dedit enim nobis intellectum Deus, ut ignorantiam fugemus e mentibus, ut rectum teneamus justumque judicium.

Te Deum laudamus.

Die XXV. Novembris.

In Festo sanctæ Catharinæ Virg. & Martyris.

Dupl. II. Classis cum Octava.

Omnia ut in Breviario Romano.

In Primo Nocturno.

Lectiones: Confitebor tibi. *De Communi secundo loco.*

IN II. VESPERIS.

Commem. 1. sequentis.

2. Sancti Conradi Episcopi Conf. ut infra.

3. S. Petri Alexandrini.

Die XXVI. Novembris.

In Romano 24. ejusd.

In Festo sancti Joannis a Cruce Confessoris.

Semiduplex.

Omnia ut in Romano, & Communi Confessoris non Pontificis.

In Hymno: Iste Confessor. *mutat. 3.* ℣.

Pro Comm. Sancti Conradi Episcopi Confessoris.

Ad Vesp. Antiph. Sacerdos, & Pontifex.

℣. Justum deduxit.

Oratio.

Deus, qui beatum Conradum Confessorem tuum atque Pontificem, sanguinis generositate præclarum, vitæ sanctitate & miraculorum vigore clariorem fecisti; concede: ut virtutum ejus meritis, de ejus beneficiis gloriemur, & a te, quod nostræ fragilitati suffragatur, obtinere mereamur.

Pro Comm. de S. Petro Alexandrino, Episcopo Martyre.

Antiph. Iste sanctus.

℣. Gloria, & honore.

Oratio: Infirmitatem. *ut in Romano.*

In Matutino de S. Joanne a Cruce:

IX. Lectio
De S. Conrado Episcopo Conf.

Conradus ex Comitibus de Altdorff oriundus primum a Nothingo Constantiensi Episcopo causarum Auditor factus, deinde etiam majori Ecclesiæ præpositus est. Ubi cum in magna perfectione se dudum exercuisset, tandem defuncto Nothingo, opera sancti Udalrici Episcopi Augustani Constantiensis Episcopus, quamvis renitens, instituitur. Suscepto illo munere præter data specimina pietatis in erigendis & decorandis Ecclesiis, tanta in Deum ferebatur fiducia, ut quodam die festo Paschæ peracta consecratione, araneam in calicem delapsam animadvertens, irreverentiam sacro sancti sanguinis Christi vitaturus, deglutire, non sit veri-

veritus, quæ postea omnibus videntibus discumbenti ex ore, non sine admiratione spectantium, exivit, siccis etiam pedibus super lacum Bodamicum ambulavit. Gebhardo adhuc adolescenti, post Gamellonium sibi successurum in sedem Episcopalem prædixit: quod ita evenit. Demum plenus operibus bonis, cum Episcopatui præfuisset quadraginta duobus annis, extremum in Domino clausit diem, anno Christi nongentesimo septuagesimo sexto, multis in vita, & post mortem miraculis clarus.

Te Deum laudamus.

In Laudibus, Commem.

1. Octavæ S. Catharinæ V. & M.

2. Comm. Sancti Conradi Episc. Conf.

Antiph. Euge serve bone.

℣. Amavit eum Dominus.

Oratio ut supra.

3. Comm. S. Petri Alexandrini Ep. M.

I. Vesperæ de sequenti, cum Commem. ut infra.

Die XXVII. Novembris.

In Festo sancti Nicasii Episcopi, & Martyris.

Duplex.

Omnia de Communi unius Martyris, præter ea, quæ hic habentur propria.

Oratio.

Deus, qui beatum Nicasium Episcopum & Martyrem tuum æterni luminis claritate mirabiliter decorásti: da nobis per ipsius suffragia, corporalis lucis adminiculo sic sustentari, ut etiam luce gratiæ fulti in cœlesti gaudio lumen gloriæ percipere mereamur. Per Dominum.

Commem. 1. præcedentis.

Antiph. Hic vir despiciens.

℣. Justum deduxit.

2. *Commem. Octavæ S. Catharinæ V. & M.*

Antiph. Veni sponsa Christi.

℣. Diffusa est gratia.

In Primo Nocturno.

Lectiones de Scriptura occurrente.

In Secundo Nocturno.

Lectio IV.

Nicasius Rhemensi Ecclesiæ in Gallia Episcopus eo tempore præfuit, quo iniquitas terræ ac populi, ex saturitate panis, otio, aliisque carnis illecebris abundans, Dei vindictam in se vehementius provocabat. Bonus proinde pastor per revelationem prænoscens interitum gregi sibi commisso instare; solicitus ac indefessus eum ad veram pœnitudinem cohortabatur. Verum, ut Evangelium ait: *semen hoc bonum aliud in petram* duritiæ *cadebat, aliud in spinas* divitiarum ac voluptatum, *quæ virtutem illius suffocabant.*

℟. Honestum fecit illum Dominus, & custodivit eum ab inimicis, & a seductoribus tutavit illum: * Et dedit illi claritatem æternam. ℣. Descenditque cum illo in foveam: & in vinculis non dereliquit eum. * Et dedit.

Lectio V.

Ingruentibus igitur ad Urbem Wandalorum agminibus, Nicasius excidii præscius, supplicite populo a Deo clementiam exorabat, quatenus instans tribulatio mortis, & carnis interitus, saltem non ad judicium animarum, sed ad peccatorum indulgentiam, persistentibus in vera fide proficeret. Itaque populum ad fortiter subeundam pro fide Christi mortem cohortatus, processit ipse ad Ecclesiam, quam in honorem sanctissimæ Dei Genitricis construxerat, ibidem præstolans, atque Deo com-

commendans agonem suum: quem irruentibus Barbaris, ibidem beate consummavit, & Martyrii palmam capitis abscissione promeruit, Anno Domini quadringentesimo septimo.

℟. Desiderium animæ ejus tribuisti ei Domine, * Et voluntate labiorum ejus non fraudasti eum. ℣. Quoniam prævenisti eum in benedictionibus dulcedinis: posuisti in capite ejus coronam de lapide pretioso. * Et voluntate.

Lectio VI.

Passa est cum ipso soror ejus Eutropia Virgo, quæ ob custodiam Castitatis & virtutis profectum semper germano suo adhærescebat: quæ & ipsis Barbaris, qui propter pulchritudinem eam servare conabantur, piam vim inferebat, ut ab illis simul pro fide & castitate trucidaretur; prædicens, eos brevi ob tantam immanitatem Dei vindictam sensuros. Passi sunt & alii plurimi, qui cohortationibus Sancti Nicasii in amore Dei sic exarserant, ut fortiter vitam pro fide Catholica immolarent. Barbari autem subitaneo, & plus quam humano terrore perculsi, se in fugam verterunt, nemine persequente. Interea super inhumata Martyrum corpora noctu cœlestia lumina visa splendescere, suavisque melodia simul audita est, donec ritu Christiano tumularentur.

℟. Stola jucunditatis induit eum Dominus: * Et coronam pulchritudinis posuit super caput ejus. ℣. Cibavit illum Dominus pane vitæ, & intellectus: & aqua sapientiæ salutaris potavit illum. * Et coronam. Gloria Patri. * Et coronam.

In Tertio Nocturno.

Homilia in Evangelium: Si quis vult post me venire. *de Communi unius Martyris, secundo loco.*

In Laudibus Commem. Octavæ S. Catharinæ Virg. & Martyris.

In II. Vesperis de eodem festo, Commem. Octavæ.

Die XXVIII. Novembris.

Quarta die infra Octavam Sanctæ Catharinæ V. & M.

Semiduplex.

Omnia de Communi Virginum præter sequentia.

In Primo Nocturno.

Lectiones de scriptura occurrente.

In Secundo Nocturno.

Sermo sancti Augustini Episcopi.

De sancta Virginitate, Cap. 2.

Lectio IV.

Cum universa Ecclesia Virgo sit desponsata uni viro Christo, sicut dicit Apostolus; quanto digna sunt honore membra ejus, quæ hoc custodiunt, etiam in ipsa carne, quod tota custodit in fide, quæ imitatur Matrem Viri & Domini sui? Nam Ecclesia quoque & Virgo, & mater est. Cujus enim integritati consulimus, si Virgo non est? Aut, cujus prolem alloquimur, si mater non est? Maria corporaliter Caput hujus corporis peperit: Ecclesia spiritualiter membra illius parit. In utráque Virginitas fœcunditatem non impedit; in utraque fœcunditas virginitatem non adimit.

℟. Propter veritatem, & mansuetudinem, & justitiam: * Et deducet te mirabiliter dextera tua. ℣. Specie tua, & pulchritudine tua intende, prospere procede, & regna. * Et deducet.

Lectio

Lectio V. *Cap.* 13.

Virginalis autem integritas, & per piam continentiam ab omni concubitu immunitas, Angelica portio est, & in carne corruptibili, incorruptionis perpetuæ meditatio. Cedat huic omnis fœcunditas carnis, omnis pudicitia conjugalis. Illa non est in potestate, ista non est in æternitate. Fœcunditatem carnalem non habet liberum arbitrium; pudicitiam conjugalem non habet cœlum. Profecto, habebunt magnum aliquid præter cæteros in illa communi immortalitate, qui habent aliquid jam non carnis in carne.

℟. Dilexisti justitiam, & odisti iniquitatem: * Propterea unxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ. ℣. Propter veritatem, & mansuetudinem, & justitiam. * Propterea.

Lectio VI. *Cap.* 27.

Sequimini Agnum quocunque ierit, scripsit ille de vobis. Quo ire putamus hunc Agnum? Quo nemo eum sequi vel audeat, vel valeat, nisi vos Virgines. Quo putamus eum ire? In quos saltus & prata? Ubi credo, sunt grandia gaudia; non gaudia hujus seculi vana; nec gaudia, qualia in ipso regno Dei cæteris non virginibus erunt, sed a cæterorum omnium gaudiorum sorte distincta. Gaudium Virginum Christi, est de Christo, in Christo, cum Christo, post Christum, per Christum, propter Christum. Gaudia propria Virginum Christi non sunt eadem non Virginum, quamvis Christi; nam sunt aliis alia, sed nullis talia. Ite in hæc, sequimini Agnum, quia & Agni caro utique Virgo. Sequimini virginitate cordis & carnis, quocumque ierit. Quid est eum sequi, nisi imitari?

℟. Af-

℟. Afferentur Regi virgines post eam, proximæ ejus, * Afferentur tibi in lætitia, & exultatione. ℣. Specie tua & pulchritudine tua intende, prospere procede, & regna. * Afferentur. Gloria Patri. * Afferentur.

In Tertio Nocturno.

Lectio sancti Evangelii secundum Matthæum.

Lectio VII. Cap. 25.

In illo tempore: Dixit Jesus discipulis suis parabolam hanc: Simile erit regnum cœlorum decem Virginibus, quæ accipientes lampades suas exierunt obviam sponso & sponsæ. Et reliqua.

Homilia sancti Augustini Episcopi.

Sermone 23. de verbis Domini. Cap. 2. post initium.

Intelligamus, charissimi, ad omnes nos, id est, ad universam omnino Ecclesiam, istam pertinere parabolam, non ad solos præpositos, nec ad solas plebes, sed prorsus ad omnes. Quinque istæ, & quinque virgines illæ, omnes omnino sunt animæ Christianorum. Sed, ut dicamus vobis, quod Deo inspirante sentimus, non qualescunque animæ, sed tales animæ, quæ habent Catholicam fidem, & habere videntur bona opera in Ecclesia Dei; & tamen ex ipsis quinque sunt prudentes, & quinque fatuæ.

℟. Hæc est virgo sapiens, quam Dominus vigilantem invenit, quæ acceptis lampadibus, sumpsit secum oleum: * Et veniente Domino, introivit cum eo ad nuptias. ℣. Media nocte clamor factus est: Ecce sponsus venit, exite obviam ei. * Et veniente.

Lectio VIII.

Quare ergo appellatæ sunt quinque, & quare virgines, prius videamus, & deinde cætera

ra consideremus. Omnis anima in corpore, ideo quinario numero censetur, quia quinque sensibus utitur. Qui ergo se abstinet ab illicito visu, ab illicito auditu, ab illicito odoratu, ab illicito gustatu, ab illicito tactu; propter ipsam integritatem virginis nomen accipit. Sed si bonum est abstinere ab illicitis sentienti motibus, & ideo unaquæque anima Christiana virginis nomen accipit; quare quinque admittuntur, quinque autem repelluntur?

℟. Media nocte clamor factus est: * Ecce sponsus venit, exite obviam ei. ℣. Prudentes virgines aptate vestras lampades. * Ecce sponsus. Gloria Patri. * Ecce sponsus.

Lectio IX.

Et virgines sunt, & repelluntur. Parum est, quia virgines sunt, & lampades habent: virgines propter abstinentiam ab illicitis sensibus; lampades habent propter opera bona, de quibus operibus Dominus dicit: *Luceant opera vestra bona coram hominibus.* Item discipulis dicit: *Sint lumbi vestri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus vestris.* In lumbis accinctis virginitas: in lucernis ardentibus opera bona. Si ergo ab illicitis abstinentia bona est, unde virginitas nomen accepit: & opera bona laudabilia sunt, quæ significantur lampadibus; quare quinque admittuntur, & quinque repelluntur? Alias dixit prudentes, alias stultas? Unde intuemur? Unde discernimus? De oleo.

Te Deum laudamus.

In II. Vesperis Commem. SS. Saturnini & Mauri MM. ut infra.

Die XXIX. Novembris.

Quin-

Quinta die infra Octavam Sanctæ Catharinæ Virginis & Martyris.

Semiduplex.

Omnia de Communi Virginum præter sequentia.

Pro Commemoratione Sanctorum Saturnini & Mauri Martyrum.

Ad Vesp. Antiph. Istorum est enim.

℣. Lætamini in Domino.

Oratio.

Deus, qui nos beatorum Saturnini & Mauri Martyrum tuorum concedis natalitio perfrui; eorum nos tribue meritis adjuvari. Per Dominum.

In Primo Nocturno.

Lectiones de scriptura occurrente.

In Secundo Nocturno.

Sermo sancti Fulgentii Episcopi.

Epist. 3. ad Probum, Cap. 4.

Lectio IV.

Tam magnum Deus voluit esse bonum virginitatis, ut illud non aliunde, sed ex vocabulo dignaretur nominare virtutis. Virginis itaque si quis velit diligenter considerare vocabulum, ex *virtutis* inveniet nomine derivatum. Virgo enim dicitur, quasi virago. Viraginem vero scriptura sancta non ob aliud vocatam dicit, nisi quia de viro sumpta est. Dixitque Adam: *Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea: hæc vocabitur virago, quoniam de viro sumpta est.* Itaque cum virginis nomen ex nomine viri descenderit; quis dubitet, quod vir a virtute vocatus sit?

℟. Propter veritatem. *pag. 314.*

Lectio V.

Et quia, sicut Paulus docet, illa omnia in figura facta sunt nostri; profecto in illa virgine, quæ

quæ ex viri fiebat costa, futura jam tunc præfigurabatur Ecclesia: quæ vere de viro sumpta, & de quo sumpta, illi conjuncta; inde habet in veritate virtutem, unde habet verum viraginis nomen. Propter quod hanc viraginem, id est, virginem, quæ de viro sumpta est, non solum virginis, sed etiam viri nomine Paulus non dubitat appellare. Ait enim fidelibus: *Despondi enim vos uni viro virginem castam exhibere Christo.* Christus est quippe vir, de quo hæc virgo sumpta est.

℟. Dilexisti justitiam. *pag. 315.*

Lectio VI.

Typice itaque a viro dicitur Virginis vocabulum, quia nomen a Christo dicitur Christianum. Christus enim Dei virtus est, & Dei sapientia, ex quo est Ecclesia, quæ Virgo in fide & charitate persistens, & sapientiam possidet, & virtutem. Quæ cum in diversis membris suis habeat donationes secundum gratiam, quæ data est ei, differentes; majorem tamen gratiam donationis in illis membris accepit, in quibus ita spiritaliter virgo dicitur, ut etiam corporeæ virginitatis integritate potiatur. In his enim, in quibus sic fidem custodit rectam, ut etiam carnem ab omni concubitu reservet intactam; quanto pleniorem habet virginitatem; tanto plenius & perfectius ejusdem virginitatis possidet nomen.

℟. Afferentur Regi. *pag. 316.*

In Tertio Nocturno.

Lectio sancti Evangelii secundum Matthæum.

Lectio VII. *Cap. 25.*

In illo tempore: Dixit Jesus discipulis suis parabo-

rabolam hanc: Simile erit regnum cœlorum decem virginibus, quæ accipientes lampades suas exierunt obviam sponso & sponsæ. Et reliqua.

De Homilia Sancti Augustini Episcopi.

Sermone 23. *de Verbis Domini. Infra Cap.* 4.

Aliquid magnum significat oleum, & valde magnum. Putas, non charitas est? Quærendo dicimus, non sententiam præcipitamus. Unde mihi videatur per oleum charitas significari, dicam vobis. Apostolus dicit: *Adhuc supereminentiorem vobis viam demonstro.* Supereminentiorem viam quam demonstrat? Si linguis hominum loquar, & Angelorum, charitatem autem non habeam, factus sum æramentum sonans, aut cymbalum tinniens. Ipsa est supereminens via, id est, charitas, quæ merito oleo significatur: omnibus enim humoribus oleum supereminet. Mitte aquam, & superinfunde oleum: oleum supereminet. Mitte oleum, superinfunde aquam: oleum supereminet. Si ordinem servaveris, vincit; si ordinem mutaveris, vincit. Charitas nunquam cadit.

℟. Hæc est virgo. *pag.* 316.

Lectio VIII. Cap. 5.

Quid ergo, fratres? Jam disceptamus de quinque virginibus prudentibus, & quinque fatuis. Voluerunt obviam ire sponso. Quid est, ire obviam sponso? Corde ire, expectare ejus adventum. Sed ille tardabat. Dum tardat ille, dormierunt omnes. Quid est, omnes? Et fatuæ, & sapientes; *dormitaverunt omnes, & domierunt.* Putamus, bonus est somnus iste? Quid est somnus iste? Ne forte tardante

dante sponso, quoniam abundat iniquitas, refrigescat charitas multorum? Siccine intellecturi sumus istum somnum? Non mihi placet; dico quare: quia sunt ibi prudentes. Et utique quando dixit Dominus: *Quoniam abundavit iniquitas, refrigescet charitas multorum*, subjecit, & ait: *Qui autem perseveraverit usque in finem, hic salvus erit.* Non ergo eis obrepsit frigus charitatis, non in eis refriguit charitas, sed fervet usque in finem.

℟. Media nocte. *pag. 317.*

IX. Lectio, extra Adventum, de Vigilia S. Andreæ Apostoli, & in Laudibus ejusdem Commem. Antiph. & ℣. ex Psalterio, Oratio propria.

2. Commem. SS. Saturnini & Mauri Martyrum.

Antiph. Vestri capilli.

℣. Exultabunt sancti.

Oratio ut supra pag. 318.

In Adventu vero, cum in Officio nihil fiat de Vigilia, nisi in Missa: IX. Lectio erit, ut sequitur.

Lectio IX.

Est alius somnus, quem nemo evadit. Non recordamini Apostolum dicentem: *De dormientibus autem nolo vos ignorare, fratres:* id est, de his, qui mortui sunt? Fatua sit virgo, prudens sit virgo; somnum mortis omnes patiuntur. Ad novissimam tubam surgent omnes. Prudentes autem illæ tulerunt oleum secum in vasis suis: stultæ vero illæ non tulerunt oleum secum. Ibi oleum, magnum oleum. De dono Dei est hoc oleum. Tu ergo tecum porta, intus porta. Ubi videt Deus, ibi porta testimonium conscientiæ tuæ: qui autem ambulat ad testimonium alienum, oleum non portat secum. Te Deum laudamus.

In Laudibus Commem.

SS. Saturnini & Mauri MM. ut supra.

I. Vesperæ de S. Andrea Apostolo. In Adventu comm. fer. tantum.

Die XXX. Novembris.

Sancti Andreæ Apostoli.

Dupl. II. Classis cum Octava.

Omnia ut in Breviario Romano.

DECEMBER.

Die I. Decembris.

Secunda die infra Octavam Sancti Andreæ Apostoli.

Semiduplex.

Officium ut in festo, & Communi Apostolorum, præter ea, quæ sequuntur.

In Primo Nocturno.

Lectiones de scriptura occurrente.

In Secundo Nocturno.

Sermo sancti Petri Chrysologi.

Sermone 133.

Lectio IV.

Beatus Andreas merito natus hodie creditur, quando non ad præsentem vitam materno est effusus ex utero, sed conceptu fidei, Martyrii partu, cœlestem noscitur generatus ad gloriam; quando non eum materna cunabula suscepére vagientem, sed superna triumphantem secreta receperunt; quando non infirmum lactis pastum genitricis traxit ex pectore, sed pro Rege suo devotissimus miles virtutis sanguinem fudit. Vivit, quia mortem cœlestis militiæ bellator occidit.

℟. Homo Dei ducebatur, ut crucifigerent eum: populus autem clamabat voce magna, dicens: * Innocens ejus sanguis sine causa damnatur. ℣. Cumque ducerent eum, ut crucifigeretur, factus est concur-

cursus populorum clamantium, & dicentium: * Innocens.

Lectio V.

Sequitur hic moriendo, Dominum æstuans & anhelans, ac toto virtutis gradu dominicis incumbit hærere vestigiis, ne eum cursus faciat disparem fratri, quem natura similem, vocatio socium, parem gratia ipsa perfecerat. Ad unam vocem Domini, sicut ille, patrem, patriam, censum reliquit; laboribus, opprobriis, itineribus, contumeliis, vigiliis, Christi indefesse germani societate donavit. Solum est, quod tempore Dominicæ passionis fugit: sed neque hoc impar, quia fugit. Negare autem si aliqua putatur culpa, non est gravius fugere, quam negare. Sed tacenda sunt alia. Æquavit fratres venia, quos sic discreverat culpa.

℟. O bona crux, quæ decorem & pulchritudinem de membris Domini suscepisti: accipe me ab hominibus, & redde me magistro meo: * Ut per te me recipiat, qui per te me redemit. ℣. Beatus Andreas expansis manibus ad cœlum, orabat dicens: Salva me bona crux. * Ut per te.

Lectio VI.

Crucem, quam refugerant, postea conjunctis viribus ardenter invadunt; ut, unde reatum sumpserant, inde conscenderent cœlum, inde præmium sumerent & coronam. Petrus namque Crucem, arborem conscendit Andreas; ut, qui Christo compati gestiebant, in semetipsis figuram formamque ipsius exprimerent passionis: & redempti ligno consummarentur ad palmam. Sic Andreas noster, etsi cedit ordini, præmio tamen non cedit & labori.

℟. Expandi manus meas tota die in cruce ad populum non credentem, sed contradicentem mihi: * Qui ambulant vias non bonas, sed post peccata sua. ℣. Deus ultionum Dominus, Deus ultionum libere egit: exaltare, qui judicas terram, redde retributionem superbis. * Qui ambulant. Gloria Patri. * Qui ambulant.

In Tertio Nocturno.

Lectio sancti Evangelii secundum Matthæum.

Lectio VII. *Cap.* 4.

In illo tempore: Ambulans Jesus juxta mare Galilææ, vidit duos fratres, Simonem, qui vocatur Petrus, & Andream fratrem ejus, mittentes rete in mare. Et reliqua.

De Homilia sancti Gregorii Papæ.

Homilia 5. in Evangelia.

Multum dimisit, qui cum re possessa etiam concupiscentiis renuntiavit. A sequentibus ergo tanta dimissa sunt, quanta a non sequentibus concupisci potuerunt. Nemo igitur etiam cum quosdam conspicit multa reliquisse, apud semetipsum dicat: imitari mundi hujus contemptores volo, sed quod relinquam, non habeo. Multum, fratres, relinquitis, si desideriis terrenis renuntiatis.

℟. Oravit sanctus Andreas, dum respiceret in cœlum, & voce magna clamavit, & dixit: Tu es Deus meus, quem vidi: ne me patiaris ab impio judice deponi: * Quia virtutem sanctæ crucis agnovi. ℣. Tu es magister meus Christus, quem dilexi, quem cognovi, quem confessus sum; tantummodo in ista voce exaudi me. * Quia virtutem.

Lectio VIII.

Exteriora etenim nostra Do-

Domino, quantumlibet parva, sufficiunt: cor namque, & non substantiam pensat; nec perpendit, quantum in ejus sacrificio, sed ex quanto proferatur. Nam si exteriorem substantiam perpendamus, ecce sancti negotiatores nostri perpetuam Angelorum vitam, datis retibus & navi, mercati sunt. Æstimationem quippe pretii non habet: sed tamen regnum Dei tantum valet, quantum habes.

℟. Videns crucem Andreas exclamavit, dicens: O crux admirabilis, o crux desiderabilis, o crux, quæ per totum mundum rutilas! * Suscipe discipulum Christi, ac per te me recipiat, qui per te moriens me redemit. ℣. O bona crux, quæ decorem & pulchritudinem de membris Domini suscepisti! * Suscipe. Gloria Patri. * Suscipe.

Lectio IX.

Valuit namque Zachæo dimidium substantiæ: quia dimidium aliud ad hoc, quod injuste abstulit, restituendum in quadruplum reservavit. Valuit Petro & Andreæ, dimissis retibus, & navi. Valuit & viduæ duobus minutis. Valuit alteri calicem aquæ frigidæ. Regnum itaque Dei, ut diximus, tantum valet, quantum habes.

Te Deum laudamus.

In Laudibus comm. Octavæ S. Catharinæ V. & M. Et in Adventu 2. feriæ.

I. Vesperæ de Die Octava S. Catharinæ Virginis & Martyris.

Commem. Octavæ S. Andreæ Apostoli.

Et in Adventu, etiam feriæ.

Die II. Decembris.

Octava sanctæ Catharinæ Virginis & Martyris.

Duplex.

Omnia de Communi Virgi-

ginum, præter ea, quæ hic habentur propria.

In Primo Nocturno.

Lectiones de scriptura occurrente.

In Secundo Nocturno.

De Epistola sancti Hieronymi Presbyteri ad Eustochium.

De custodia Virg. Tom. I. *circa medium.*

Lectio IV.

De Virginibus, inquit Apostolus, præceptum Domini non habeo: cur? quia & ipse, ut esset Virgo, non fuit imperii, sed propriæ voluntatis. Neque enim audiendi sunt, qui eum uxorem habuisse confingunt; cum de continentia differens, & suadens perpetuam castitatem, intulerit: *Volo autem omnes esse sicut meipsum.* Et infra: *Dico autem innuptis, & viduis: bonum est illis, si sic permaneant, sicut & ego.* Quare ergo non habet Domini de virginitate præceptum? Quia majoris est mercedis, quod non cogitur, & offertur: quia si fuisset Virginitas imperata, nuptiæ videbantur ablatæ; & durissimum erat contra naturam cogere, Angelorumque vitam ab hominibus extorquére.

℟. Propter veritatem, & mansuetudinem, & justitiam: * Et deducet te mirabiliter dextera tua. ℣. Specie tua, & pulchritudine tua intende, prospere procede, & regna. * Et deducet.

Lectio V.

Alia fuit in veteri lege felicitas. Ibi dicitur: *Beatus, qui habet semen in Sion, & domesticos in Jerusalem.* Et, *maledicta sterilis, quæ non pariebat.* Et: *Filii tui sicut novellæ olivarum in circuitu mensæ tuæ.* Vacuus erat orbis, &, ut de typicis taceam, sola erat benedictio liberorum. Propterea & Abraham jam

jam senex Cethúræ copulatur, & Jacob mandragoris redimitur, & conclusam vulvam in Ecclesiæ figura, Rachel conqueritur. Paulatim vero increscente segete messor immissus est. Virgo Elias; Elisæus virgo, virgines multi filii Prophetarum. Jeremiæ dicitur: *Et tu ne accipias uxorem.* Sanctificatus in utero, captivitate propinqua, uxorem prohibetur accipere.

℟. Dilexisti justitiam, & odisti iniquitatem: * Propterea unxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ. ℣. Propter veritatem, & mansuetudinem, & justitiam. * Propterea.

Lectio VI.

Inveniebatur ergo, ut diximus, in viris tantum hoc continentiæ donum, & in doloribus jugiter Eva parturiebat. Postquam vero Virgo concepit in utero, & peperit nobis puerum, cujus principatus in humeris ejus: Deum fortem, patrem futuri seculi; soluta maledictio est. Mors per Evam, vita per Mariam. Ideoque & ditius virginitatis donum fluxit in feminas, quia cœpit in femina. Statim ut Filius Dei ingressus est super terram, novam sibi familiam instituit, ut, qui ab Angelis adorabatur in cœlo, haberet Angelos & in terris. Tunc Holofernis caput Judith continens amputavit: tunc Aman, qui interpretatur iniquitas, suo combustus est igni: tunc primum auditum est: *Quæ non est nupta, cogitat quæ sunt Domini, ut sit sancta corpore & spiritu.*

℟. Afferentur Regi virgines post eam, proximæ ejus, * Afferentur tibi in lætitia, & exultatione. ℣. Specie tua & pulchritudine tua intende, prospere procede, & regna. * Afferentur tibi.

Gloria Patri. * Afferentur tibi.

In Tertio Nocturno.

Lectio sancti Evangelii secundum Matthæum.

Lectio VII. *Cap.* 25.

In illo tempore: Dixit Jesus discipulis suis parabolam hanc: Simile erit regnum cœlorum decem virginibus, quæ accipientes lampades suas exierunt obviam sponso & sponsæ. Et reliqua.

De Homilia Sancti Augustini Episcopi.

Unde supra, *Cap.* 8.

Intendat itaque Charitas vestra. Antequam dormirent illæ virgines, non est dictum, quia extinguebantur lampades earum. Sapientium lampades ardebant de oleo æterno, de conscientiæ securitate, de interiore gloria, de intima charitate. Ardebant tamen & illarum fatuarum. Quare tunc ardebant? Quia non deerant laudes hominum. Posteaquam vero surrexerunt, id est, in resurrectione a mortuis, cœperunt aptare lampades suas, id est, parare Deo operum suorum reddere rationem. Et quia tunc nemo est, qui laudet, (omnis enim homo causæ suæ vacat,) non erant, qui oleum venderent, cœperunt deficere lampades.

℟. Hæc est virgo sapiens, quam Dominus vigilantem invenit, quæ acceptis lampadibus sumpsit secum oleum: * Et veniente Domino introivit cum eo ad nuptias. ℣. Media nocte clamor factus est: Ecce sponsus venit, exite obviam ei. * Et veniente.

Lectio VIII.

Clausum est ostium. Et quid illis dictum est? Non novi vos. Non illas novit, qui omnia novit? Quid ergo est: Non novi vos? Improbo vos, repro-

reprobo vos: in arte mea non vos agnosco: ars mea nescit vitia. Hoc est autem magnum: & nescit vitia, & judicat vitia. Nescit faciendo, judicat arguendo. Sic ergo non novi vos. Ierunt, intraverunt quinque prudentes. Sint in vobis quinque prudentes, ad istam prudentiam quinarii numeri pertinentes. Veniet enim hora, & quando nescimus, veniet. Sic clausit Evangelium: *Vigilate, quia nescitis diem neque horam.*

℟. Media nocte clamor factus est: * Ecce sponsus venit, exite obviam ei. ℣. Prudentes virgines aptate vestras lampades. * Ecce sponsus. Gloria Patri. * Ecce sponsus.

Lectio IX.

Si ergo dormituri sumus, quomodo vigilamus? Corde vigila, fide vigila, spe vigila, charitate vigila, operibus vigila: & quando corpore dormieris, veniet tempus, ut surgas. Cum autem surrexeris, præpara lampades. Tunc non extinguantur; tunc in interiore conscientiæ oleo vegetentur: tunc sponsus ille incorporeis nexibus amplectatur: tunc te introducat in domum, ubi nunquam dormias, ubi nunquam possit tua lampas extingui. Hodie vero laboramus, & lampades nostræ inter ventos seculi hujus tentationesque fluctuant: sed ardeat in rubore flamma nostra, ut ventus tentationum augeat ignem potius, quam extinguat.

Te Deum laudamus.

In Laudibus Commem. Octavæ S. Andreæ Apostoli. Et in Adventu etiam feriæ.

Die IV. Decembris.

In Festo sanctæ Barbaræ Virginis & Martyris.

Dupl. II. Classis cum Octava.

Omnia de Communi Virginum, præter Orationem, & Lectiones secundi Nocturni proprias.

Oratio.

Cordibus nostris, quæsumus Domine, rorem tuæ benedictionis meritis & intercessione beatæ Barbaræ Virginis & Martyris tuæ benignus infunde: ut, qui ejus imploramus auxilium, celerem tuæ propitiationis sentiamus effectum. Per Dominum.

Commem. 1. præcedentis. 2. feriæ.

In Primo Nocturno.

Lectiones, De libro Ecclesiastici. Confitebor tibi Domine Rex. *De Communi Virginis & Martyris.*

In Secundo Nocturno.

Lectio IV.

Barbara Virgo Nicomediensis, ob insignem corporis elegantiam, a Dioscoro patre, inter suos nobili, in turrim inclusa, ab omnium oculis arcetur. Ubi multa secum pie, religioseque meditata, tanto Christianæ religionis, & servandæ castitatis amore exarsit, ut non modo nuptias a patre oblatas respueret, verum etiam se Christum colere professa, nefarium idolorum cultum magna libertate perstrinxerit.

℟. Propter veritatem. *pag. 326.*

Lectio V.

Dioscorus vero hac constanti filiæ confessione adeo excanduit, ut eam Præsidi Marciano, nisi a proposito desisteret, excruciandam tradiderit. Is illam primum blanditiis, propositis etiam præmiis & honoribus, ad paternæ superstitionis cultum conatus est adducere. Cum vero a fidei constantia nullis verborum illecebris

bris abduci posset; omnis tormentorum acerbitas in eam convertitur. Nervis enim bubalinis gravissime cæsa, in obscurissimum carcerem detruditur: ubi etsi humana ope destituta, Divinitus tamen curata est.

℟. Dilexisti justitiam. *pag. 327.*

Lectio VI.

Quod ubi senserunt Christianæ fidei hostes, eo furoris atque dementiæ progressi sunt, ut in eam, & carceris maceratione, & lampadum adustione, & mammillarum præcisione, omnem suam crudelitatem deprompserint. Neque tamen his contentus Dioscorus: paternæ charitatis prorsus oblitus, propria manu filiæ caput amputare non dubitavit. Cujus anima in cœlum ad duplicem, Virginitatis, ac Martyrii palmam evolavit. Ipsa vero gloriosa Virgo & Martyr, singulari præsidio est omnibus clientibus suis de vita periclitantibus, ne, nisi Christiano ritu muniti, decedant.

℟. Afferentur Regi. *pag. 327.*

In Tertio Nocturno.

Homilia in Evangelium: Simile erit regnum cœlorum decem Virginibus. *De Communi Virginum.*

In Laudibus Commem. feriæ tantum.

In II. Vesperis Commem. 1. S. Bibianæ V. M. in Rom. 2. huj. Antiph. Simile est regnum. *ex Laudibus. 2. feriæ. 3. S. Sabbæ Abbatis tantum.*

Die VII. Decembris.

Octava S. Andreæ Apostoli.

Duplex.

Omnia ut in festo, præter sequentia.

In Primo Nocturno.

Lectiones de scriptura occurrente.

In

In Secundo Nocturno.

Sermo sancti Bernardi Abbatis.

In Vigilia S. Andreæ, in medio.

Lectio IV.

Quanta exultatione universæ terræ celebrandum tantæ novitatis miraculum, tam magnificum opus Divinæ virtutis? Andreas homo erat similis nobis passibilis, & tam vehementi ardore spiritus crucem sitiebat, tam inaudito a seculis gaudio tripudiabat, cum paratum sibi eminus patibulum conspexisset: O crux, inquit, diu desiderata, & jam concupiscenti animo præparata! securus & gaudens venio ad te, ita ut & tu exultans suscipias me.

℟. Homo Dei ducebatur, ut crucifigerent eum: populus autem clamabat voce magna, dicens: * Innocens ejus sanguis sine causa damnatur. ℣. Cumque ducerent eum, ut crucifigeretur, factus est concursus populorum clamantium, & dicentium. * Innocens.

Lectio V.

Ergóne tanta est exultatio, ut exultet & ipsa crux, nec lethi quidquam habeat, sed totum lætitiæ sit? Aut quis dicat minus contra consuetudinem, supra rationem, ultra naturam, crucifixum exultare, quam crucem? Illi sensum lætitiæ natura negavit: huic, si quid prævalet, gaudium omne exterminat, ingeritque dolorem. Fratres, ignis vibrans est, non lingua loquens: & si lingua, certe ignea est. Carbones sunt ignis illius, quem de excelso Christus miserat in ossibus ejus. Atque utinam desolatorii nobis sint, consumentes & exurentes, quidquid in nobis est carnalis affectionis!

℟. O bona crux, quæ deco-

decorem & pulchritudinem de membris Domini susceptisti: accipe me ab hominibus, & redde me magistro meo: * Ut per te me recipiat, qui per te me redemit. ℣. Beatus Andreas, expansis manibus ad cœlum, orabat dicens: Salva me bona crux. * Ut per te.

Lectio VI.

Plane, beate Andrea, granum sinapis est fides tua, quæ tam insperatum, ubi teri cœpit, cœpit ex se proferre fervorem. Quid si paulo amplius tereretur? Quis fervorem illum animus, quis verba illa sustinere posset auditus? Terrendum eum putat Ægéas, crucis supplicium minitans: sed non est ita. Accenditur magis in verbo hoc, & libere clamat: *Ego si patibulum crucis expavescerem, crucis gloriam non prædicarem.* Merito proinde crucis amatorem venerantur, quicunque sunt servi crucis: sed ab his ampliorem jure devotionem exigit, qui specialius proposuerunt tollere crucem suam.

℟. Expandi manus meas tota die in cruce ad populum non credentem, sed contradicentem mihi: * Qui ambulant vias non bonas, sed post peccata sua. ℣. Deus ultionum Dominus, Deus ultionum libere egit: exaltare, qui judicas terram, redde retributionem superbis. * Qui ambulant. Gloria Patri. * Qui ambulant.

In Tertio Nocturno.

Lectio sancti Evangelii secundum Matthæum.

Lectio VII. *Cap.* 4.

In illo tempore: Ambulans Jesus juxta mare Galilææ, vidit duos fratres, Simonem, qui vocatur Petrus, & Andream fratrem ejus, mittentes retia in mare. Et reliqua.

Ho-

Homilia Venerabilis Bedæ Presbyteri.

Ex Commentar. in Marc. lib. 1. circa medium.

Congrue de piscatoribus piscium, piscatores hominum facere voluit: quia sicut officium est piscatoris navem ascendere, retia manibus tenere, & de profundis gurgitibus pisces ad littus trahere; sic isti in gremio Ecclesiæ recepti, navem fidei ascendentes, retia prædicationis in verbo & opere habentes, de amarissimis & tenebrosis mundi gurgitibus multos homines ad veram lucem traxerunt. Vide beatum Andream in Achaja, retia in manibus tenentem, & multos pisces spiritualiter capientem. Non solum enim tota civitas, sed etiam tota regio credidisse legitur; sicut ipse ait: Christus me misit ad istam provinciam, ubi non parvum populum acquisivi.

℟. Oravit sanctus Andreas, dum respiceret in cœlum, & voce magna clamavit, & dixit: Tu es Deus meus, quem vidi: ne me patiaris ab impio judice deponi: * Quia virtutem sanctæ crucis agnovi. ℣. Tu es Magister meus Christus, quem dilexi, quem cognovi, quem confessus sum: tantummodo in ista voce exaudi me. * Quia virtutem.

Lectio VIII.

Sed libet intueri, quod non frustra Dominus, in prima sua vocatione quatuor discipulos elegit: quaternarius enim numerus perfectus est, & in suis partibus divisus perfectionem significat: vel propter quatuor principales virtutes, nempe: Prudentiam, Temperantiam, Fortitudinem & Justitiam. Has virtutes non solum in numero, sed etiam in nominibus, isti discipuli significant. Pe-

Petrus enim, qui a quibusdam *Agnoscens* interpretatur, Prudentiam significat. Andreas, qui *virilis* interpretatur, Fortitudinem: quam virtutem non solum in nomine, sed etiam in opere habuit; quia in fide recta usque ad passionem viriliter perseveravit in tantum, ut etiam, cum duceretur ad crucifigendum, videns crucem, cum gaudio diceret: Salve crux pretiosa.

℟. Videns crucem Andreas exclamavit, dicens: O crux admirabilis, o crux desiderabilis, o crux, quæ per totum mundum rutilas! * Suscipe discipulum Christi, ac per te me recipiat, qui per te moriens me redemit. ℣. O bona crux! quæ decorem & pulchritudinem de membris Domini suscepisti. * Suscipe. Gloria Patri. * Suscipe.

Lectio IX.

Per Jacobum, qui interpretatur *Supplantator*, Justitia designatur; quæ iniquitatem supplantare, & æquitatem novit diligere: & Joannes, qui interpretatur *gratia* Dei, vel in quo est gratia, Temperantiam designat; quæ alio nomine *discretio* vocatur, & est mater omnium virtutum. Cum ergo Dominus in prima sua vocatione, quatuor discipulos suos elegit, in ipso numero nobis innotuit: quia, si ejus discipuli esse volumus, has quatuor virtutes habere debemus.

Te Deum laudamus.

In Laudibus, Commem. 1. Octavæ S. Barbaræ Virginis & Martyris.

Antiph. Simile est regnum cœlorum.

℣. Diffusa est gratia.

Oratio. Cordibus nostris, *ut supra pag. 330.*

2. Comm. feriæ.

I. Vesperæ de sequenti; Commemor. Feriæ tantum.

Die

Die VIII. Decembris.

In Festo Conceptionis B. M. V.

Dupl. I. Classis cum Octava.

Omnia ut in Breviario Romano.

Die IX. Decembris.

In Romano 4. hujus.

Sancti Petri Chrysologi Episcopi & Confessoris.

Duplex.

Omnia ut in Breviario Romano.

In hymno: Iste Confessor, *dicitur:* meruit supremos.

Ad Magnificat Antiph.

O Doctor optime.

In Laud. Commem. 1. & 2. Octavarum, & 3. feriæ.

Die XI. Decembris.

Octava sanctæ Barbaræ Virginis & Martyris.

Duplex.

Omnia de Communi Virginum, exceptis, quæ hic notantur.

In Primo Nocturno.

Lectiones de scriptura occurrente.

In Secundo Nocturno.

Sermo sancti Augustini Episcopi.

Cum universa Ecclesia &c. *ut supra IV. die infra Octavam S. Catharinæ V. M. pag. 314.*

In Tertio Nocturno.

Homilia sancti Augustini Episcopi.

Intelligamus, Charissimi, &c. *ex eadem die, pag. 316.*

In Laudibus Commem. 1. Octavæ Conceptionis B. M. V.

2. Commem. Feriæ.

De

De Officiis Tempore Paschali occurrentibus.

Ritu Misnensi, cum Privilegio, tum Consuetudine ab antiquo susceptо, per totum tempus Paschale, a Dominica Resurrectionis DNI, usque ad SSS. Trinitatis Festum exclusive, tam in Festis Sanctorum, quam Dominicis & Feriis, unum dicere licet Nocturnum sub una, eaque prima, illius Nocturni Antiphona; nisi in propriis locis aliter notetur, modo sequenti:

I. De Dominica.

In Dominicis *de ea*, Ad Matutinum *Invitatorium*, *Hymnus*, *Antiphona Nocturni*, ut in Psalterio tempore Paschali; & *tres tantum* dicuntur *Psalmi*, Seriatim quidem, ordine sequenti:

In Dominica I. post Pascha, Antiphona: *Alleluja, lapis revolutus est* &c. (quæ hoc die tantum ante, & post Psalmos dicitur integra;) dicuntur *tres primi Psalmi* primi Nocturni Dominicæ.

In *secunda Dominica* sub eadem Antiphona, sed sub semiduplici, tres sequentes Psalmi; quibus finitis dicitur illa Antiphona integra.

In *tertia Dominica* sub ipsa Antiphona alii tres sequentes; Et in *Dominica quarta* tres denique ultimi Psalmi primi Nocturni Dominicæ in Psalterio sub eadem Antiphona.

In *Dominica* vero *quinta* resumuntur tres primi Psalmi primi Nocturni, ut in Dominica *in Albis*.

De Dominica *infra Octavam Ascensionis* DNI vide infra suo loco.

Versus ex eodem primo Nocturno. Absolutio: *Exaudi Domine*. Tres Lectiones de Homilia Dominicæ occurrentis, & Benedictiones cum RRiis ex tertio Nocturno.

Ad Laudes & per Horas,

ras, *Antiphonæ*, *Capitula*, *Hymnus*, ℟℟ia *brevia*, & *Oratio* ex Dominica occurrente.

Ad Vesperas *Omnia ut in Romano* de eadem Dominica. Concurrente vero festo Duplici, fit de ea Commemoratio.

II. De Feria.

In Feriis dicuntur Psalmi *feriæ currentis*, etiam seriatim; nempe: Infra hebdomadam *I. post Paschа*, primi tres Psalmi illius feriæ, de qua est officium. Hebdomada sequente tres alii sequentes Psalmi; ac sic etiam post 3. & 4. Dominicam. Post *quintam* resumuntur rursus primi tres Psalmi.

Lectiones de scriptura occurrente; nisi sit Vigilia, vel feria, quæ propriam habeat Homiliam. ℟℟ia ut in proprio loco. Post tertiam Lectionem dicitur *Te Deum laudamus*.

Ad Laudes Antiphonæ & Psalmi ex Laudibus Dominicæ T. P. *Capitulum* vero, *Hymnus*, ℣. & *Antiphona ad Benedictus* ut in proprio de Tempore. *Oratio* Dominicæ præcedentis, cum Commem. *de Cruce*.

Ad Primam dicuntur *tres Psalmi*, ut in Festis simplicibus.

Ad reliquas Horas videatur Breviarium.

III. De Festis.

In Festis I. & II. Classis, Duplicibus majoribus & minoribus, in Semiduplicibus, ac etiam in Festis Simplicibus, dicuntur tres Psalmi Matutini *de Communi*, sub una eaque prima cujusque Nocturni Antiphona juxta Nocturnorum seriem. Exempli gratia: in primo festo, vel *S. Apostoli, vel Martyris, vel Confessoris, vel Virginis* &c. ex primo Nocturno. In secundo festo ejusdem di-

gni-

gnitatis & Ordinis, ex secundo Nocturno, & sic porro; ita, ut, si necesse est, redeundum sit ad primum Nocturnum.

Notandum: Confessorem Pontificem a non Pontifice, Virginem a non Virgine, servatis propriis, non distingui servando hunc ritum, & morem recitandi Officium Paschale.

IV. De Versu Nocturnorum, Absolutione, & Responsoriis.

Versus Nocturni, Absolutio, & Responsoria, in jam dictis etiam Simplicibus Festis dicuntur ex eodem Nocturno, ex quo dicti sunt Psalmi. Et quia in primo & secundo Nocturno tria sunt Responsoria, omisso tertio, additur &c. io secundo *Gloria Patri.*

V. De Benedictionibus, & Lectionibus.

Lectiones in Festis *Duplicibus*, & *Semiduplicibus* semper sunt *de Homilia*, seu ex tertio Nocturno; nunquam ex secundo seu de Vita. Unde etiam *Benedictiones* sumendæ sunt ex eodem 3tio Nocturno.

In Festo *Simplici*, Benedictiones dicuntur, ut in capite Breviarii notatur. Lectiones vero, si propriam unam aut duas habeat, eæ servato ordine, & de Scriptura, & de Vita leguntur.

In Festis tamen Duplicibus, & Semiduplicibus nunquam dicitur *permodum nonæ* tertia Lectio de occurrente Simplici; prout alias observatur in Officio novem Lectionum, sed omittitur; quemadmodum fit cum Lectione de SS. Tiburtio & Valeriano 14. Aprilis; & cum Lectione de S. Aniceto Pp. M. 17. Aprilis, quando occurrunt infra Octavam Paschæ. Item, cum Lectio-

ctione de SS. Marcellino & Petro MM. 2. Junii, occurrente hoc festo infra Octavam Pentecostes.

Dicitur tamen hæc Lectio *de Homilia Dominicæ* in Officio Duplici; & de feria propriam Homiliam habente.

De Lectionibus infra Octavam Ascensionis Domini, vide mox infra.

VI. De Octava Ascensionis.

A Festo Ascensionis DNI usque ad Pentecosten, quando Officium est *de Octava*, dicuntur Psalmi sub tribus Antiphonis ex ipso *Festo Ascensionis*, etiam seriatim; videlicet: *Feria VI.* post festum, *Antiphonæ*, Psalmi, ℣. Absolutio: *Ipsius pietas*, & Lectiones *De Sermone* cum ℟℟iis, *ex secundo Nocturno.*

In Sabbatho sequente hæc omnia *ex tertio Nocturno*; solæ Lectiones *de Sermone* ex secundo Nocturno.

Dominica infra Octavam *ex primo Nocturno*; Lectiones *de Homilia* ex tertio, ℟℟ia vero *ex primo Nocturno.*

Feria II. omnia ex *secundo Nocturno.* Et sic porro, ita tamen, ut Lectiones semper sumantur *de Sermone*; ℟℟ia vero inde, unde Psalmi.

In die Octava Ascensionis omnia *ex primo Nocturno*, licet eadem dicta sint Feria IV. præcedente; exceptis solis Lectionibus, de Homilia quæ sumendæ sunt ex ipso Festo. ℟℟ia vero ex I. Nocturno.

VII. In Officio de Lancea & Clavis Domini.

Antiphona, Psalmi, ℣. Absolutio *ex primo Nocturno.* Benedictiones, Lectiones cum ℟℟iis *ex tertio Nocturno.*

INDEX
Nominum & Officiorum Sanctorum Hujus Proprii.

Pag.

Adalberti Episc. & Martyr. 72
Ægydii Abbatis. 185
Afræ & Sociar. Martyrum. 169
Agnetis V. & M. 21
Ejus Octava. 26
Albini Episc. Conf. 216
Ambrosii Ep. & C. 69
Anastasii Mart. 65
Andreæ Apostoli 322
Infra Octavam. 322
Ejus Octava. 331
Annæ Matris B.M.V. 159
Infra Octavam. 159
Ejus Octava. 162
Apolloniæ V. & M. 51

Barbaræ V. & M. 329
Ejus Octava. 336
Bennonis Episc. & Conf. 102
Infra Octavam. 108 113. 116
Ejus Octava. 125
Bennonis Commemoratio. 45

Pag.

Blasii Episc. & M. 46
Bonifacii Ep. M. & Soc. 100
Brictii Martulan. Ep. Conf. 149
Brictii Turon. Ep. C. 283
Brigidæ Virg. 46

Caroli Magni Imp. Conf. 56
Catharinæ V. & M. 309
Infra Octavam. 314 318
Ejus Octava. 325
Chiliani Ep. Mart. & Soc. 143
Commemorationis Passionis Domini. 284
Conradi Ep. C. 310
Chrysanthi & Dariæ MM. 263
Crispini & Crispiniani MM. 263

Decem millium milit. MM. 120
Divisio Apostolor. 153
Donati Ep. M. 165
Infra Octav. 169. 172
Ejus Octava. 175
Dorotheæ V. & M. 49
Ejus Octava. 61

Pag.

Duodecim Fratrum MM. 185

Elogii Ep. Conf. 129
Emmerami Ep. M. 222
Erasmi Ep. M. 96
Erhardi Ep. & Conf. 53

Fabiani & Sebastiani MM. 21
Eorum Octava. 25
Faciei Salvatoris. 1

Galli Abbatis. 251
Gereonis, Victoris &c. MM. 249
Gertrudis V. Nivigellensis. 68
Gothardi Ep. C. 79

Hedwigis Ducis Viduæ. 250
Infra Octavam. 251
Ejus Octava. 259
Hieronymi Presb. Conf. 238
Ejus Octava. 248

Inventionis Pueri Jesu. 34

Pag.

Inventionis S. Stephani Proto-M. & Soc. 164
Joannis Apost. ante Portam Latin. 79
Ejus Octava. 79
Julianæ V. & M. 63

Lamberti Ep. M. 221
Lazari resuscitatio. 204
Leonardi Abbatis. 277
Livini Episc. & M. 280

Magni Mart. 178
Margarithæ V. M. 151
Mariæ Virginis.
Commemoratio. 264
Gaudiorum. 228
Visitatio. 129
Infra Octav. 130 134. 137
Ejus Octava. 146
Martini Ep. & C. 280
Ejus Octava. 305
Materni Ep. Conf. 220
Mauritii & Soc. MM. 222

Nicasii Ep. M. 311
Nonnominatorum MM. 80

Os-

Pag.

Oswaldi Reg. M. 164
Othiliæ Virg. 30
Othmari Abbatis. 304
Othonis Ep. Conf. 241

Projecti Episc. M. 25

Remigii, Germani, Vedasti Confes. Pont. 239
Rosaliæ V. Panormitanæ. 216
Ruffi M. 184

Saturnini & Mauri MM. 318
Sebaldi Conf. 177
Servatii Episc. Conf. 79
Severi Ep. Conf. 259
Severini Ep. Conf. 262
Sigismundi M. 75
Spineæ Coronæ Dni. 186
Stephani Inventio. 164

Pag.

Theodoriti M. 275
Translatio S. Hedwigis. 182
Trinitatis SSS. Infra Octavam. 84. 88
Ejus Octava. 92

Valentini utriusque. 62
Udalrici Ep. C. 133
Victoris M. 225
Vincentii M. 21
Ursulæ & Soc. Virg. MM. 256

Walpurgæ Virg. 73
Wenceslai Reg. M. 238
Ejus Octava. 244
Wendelini Conf. 47
Willebrordi Ep. C. 280

Xysti, Prisci &c. MM. & Verenæ Virg. 185

Officium Paschale. 337

SaLVatorI JesV ChrIsto,

eJVsqVe genItrICI VIrgInI,

sanCtIsqVe tVteLarIbVs DIœCesIs hVJVs,

honorI CeDat,

aC

VeneratIonI.



Vk 2657

ULB Halle 3
008 215 529

Kb 18

W. C

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-1192015415-111186389X-11


Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-1192015415-111186389X-11

FESTA
R·OPRIA

æ ac Exemptæ Diœceſis

MISNENSIS

OVISSIME EDITA,

Domini MDCCLXXIII.

USSU & AUCTORITATE

MI, PERILLUSTRIS, EXIMII, CLARISSIMI,

AC AMPLISSIMI DOMINI

JOANNIS CAROLI

RENTII CARDONA,

Miſnenſis per utramque Luſatiam

TRATORIS ECCLESIASTICI

LOCI ORDINARII;

æ, ac Exemptæ Eccleſiæ ad

S. Petrum Budiſſinæ

TI, & DECANI INFULATI,

Præpoſiti, ac Parthenonis ibidem

Viſitatoris perpetui &c.

iente Venerabili Capitulo

Budiſſinenſi.

Farbkarte #13
B.I.G.
Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black
Centimetres Inches
Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-1192015415-111186389X-11